Digitized by Google

Digitized by Google

CARMEN THEOLOGICUM,

HOC EST

Concluſiones ex quatuor libris Sententiarum depromptæ, ac exametro Carmine concinnatæ,

QUAS

Theologiæ noſtræ Vati magno, Eccleſiæ Militantis Doctori majori, Triumphantis verò Divo maximo,

SERAPHICO BONAVENTURÆ

Dicatas Humillimè

SUB EJUSDEM FELICISSIMIS AUSPICIIS

CLERICI REGULARES

Publicè defendendas proponunt

IN ECCLESIA S. S.

SIMONIS, ET JUDÆ.

PATAVII M.DCC.X.

Ex Typographia Fratrum Sardi. *Super. Permiſſu.*

10. 7. 116

Digitized by Google

Digitized by Google

Ad Theologum.

DEſpice ne carmen, gracilē nec temnito Muſam
Haud venio vacuis ludere imaginibus.
Vera canam, quæque ipſe olim Regnator Olympi
Scripſerat. an refugis credere? volue Theſes.

Ad Theologum Moralem.

HÆc ſpeculans canto; ſi qua ulla licentiùs ire
Fortè putas, alijs utere dogmatibus.

Digitized by Google

ERRATA CORRIGE.

Pag.	Lin.		
27.	2.	ab	ſub
	30.	Contingerit	Contigerit
28.	27.	in aure	inaure
65.	5.	arctoa	arctoo

Introductio.

ILle ego, qui rauco dederam modulamine carmē,
Viliaq; hæc cecini, quæ noſter continet Orbis:
Non injucundum forſan, ſed amabile cœptum;
Quos Logicę, & Phyſicę juvat explorare latebras,
Naturæ & fines ultra vel tendere curant.
Majus opus moveo, majora arcana volutat
Pandere mens ſecum: fallor; mihi maxima rerum
Quin oritur ſeries. nunc ergo ingentibus auſis

Digitized by Google

LIBER PRIMUS.

1. NAturam ſuper ire placet, ſuper Æthera, & aſtra;
Supra homines, ſupra ire polos, ipſumq; Tonantē,
Auguſtam Triadem, ſuprema arcana, triumphos,
Ipſius & dotes, ac immortalia fata,
Factaque fert animus veraci promere cantu;
Ite procul, Muſæ, vatum decus, ite Camænæ;
Nil vanum ceciniſſe juvat, vel inutile: tantùm
Divinum ſpirare decet mea pectora Phœbum.
2. Cœptis affer opem, imple vota, Seraphice Doctor;
Teque, tuumque ſibi poſcunt mea carmina numen.
Tu primùm Sancto tractans modulamine chordas,
Nondum ſueta metro, nec pridem cognita muſis
Aptaſti numeris Sophiæ theoremata noſtræ,
Et nos Aonio docuiſti ea pangere plectro.
Vatem ergo, addictumque tuum, ignarumque viarum
Dulcè mone, felixque meis allabere votis.

De Sacra Doctrina.

3. DOctrinas ultra, liceat queis noſcere verum;
Et gignit natura parens, en ſacra coruſcis
Principiis fidei innitens Theologia fulget.
Pandere fas illi clara ſub imagine rerum,
Obſcurè quæ priſca canunt oracula vatum;
Fas & inaudita, & numquam mortalibus antè
Luminibus luſtrata, loqui; fas noſcere, Mentes
Quæ ſuperæ nequeunt; fas Summum attingere Numen;

Digitized by Google

4. Hinc alios habitus, alias ſupereminet artes
Objectis; hinc ipſa Dei de nomine nomen
Traxerat auguſtum; non inde ſcientia dici
Ritè tamen poterit; clarè non illa tuetur;
Quæ documenta refert. equidem certiſſima fulget
Hoſce habitus inter, magno quos noſtra labore
Mens reperit, non quos ultro mortalibus ægris
Omnipotens Genitor Cœli largitur ab arce.

5. Non mage certa tamen phyſica ſplendeſceret arte,
Qua ſibi principium, præmiſſamque hauſerit umquam;
Infirmam ſedenim ſequitur concluſio partem.
Argumenta dabis ſi fulgeſcentia utroque
Principio fidei, noſtræ non emicat inde
Dogma Theologiæ, Fidei tum rite reſultat
Articulus: tum ſacra Theſis deducitur, unà
Præmiſſas ſi ſancta Fides, Naturaque præbent.

6. Doctrina pereunte ſacra concuſſa repente
Corruet alma Fides, penituſque illiſa recumbet:
At labente Fide num habitus tunc concidet almæ
Doctrinæ? in nihilum ſolus prolabitur actus.
Quidquid obeſt, valeant aut objectare, negando
Omnia diſſolvit, clarè nihil ipſa probando;
Hinc nequeunt cogi Gentiles credere dictis,
Quæ divina fides, ſanctique dedere Prophetæ.

7. Biblia Sacra novæ, veteriſque volumina Legis,
Traditio tum certa Patrum, decretaque Papæ
Argumenta illi non diſſolvenda miniſtrant.
Scripta Patrum quandoque dabunt fortiſſima tela,
Et quandoque minùs; ſenſum commune Scientum,
Qui divina docent, non debile miſſile præbet;
Hiſtoriæ aſt hominum, & Phyſicum Theoremata promunt
Non ſua tela olli, raròque adhibenda Magiſtris.

DE

De Deo Uno.

8. E*ſt Deus*: eſtne Theſis, quam mens indagine nulla,
Nullo opere, aut ullos non exantlata labores,
Seu diſcat ſubitò nullis exercita curis?
In ſe equidem verax alia ſine luce coruſcat;
Lumen inacceſſum, verumque illuſtre tueri
Sed mens ipſa hominum nequit, Aligerumque ſuprema
Vis animi, vigili ſecum ni pectore verſet,
Et priùs aſpiciat ſolerti examine Mundum.
9. Ergo tuens nubes, terras, pontum, Æthera, Cœlum
Caſus, ait, ſors cæca regit, ſeu condidit omnia?
Urbs hominum locus eſt, nemorum frondentia luſtra
Sylveſtres cœpere feræ, circumfluus aer
Alituum turmis, ſedes data piſcibus æquor;
At nullus Cœli ſupera ſibi legerit Aula
Aut ſedem, aut ſolium? ſolùm illa ampliſſima Regna
Rege carent, certo qui fœdere flectat habenas?
10. Infinita nequit gigni vel copia rerum,
Vel numerus. rata habent quæcumque vel aſtra, vel artua,
Quodque ſibi certas leges, & tempora poſcit,
Principiumque ſui, & finis confinia novit,
Æternùmque nihil potuit fulgeſcere: Numen
Ergo datur, magno quod numine Sidera, & Orbes
Complet, & imperio terram moderatur, & Axem,
Fecit, & ex nihilo mare, terras, Æthera, Cœlum.
11. Olli, quin cantes, ita ineſt exiſtere, ut ipſum //
Afficiat primò, ~~decoretque eſſentiæ ad inſtar~~; //
Non equidem ut ratio, quæ ſit velut ultima rei,
Cætera quaque fluunt, quæ ſunt connexa Tonanti,
Et decora, & dotes, immortaliſque venuſtas.
Hoc ſolùm Aſeitas præſtanti munere gaudet.
Non ſecus ac tantùm exoriuntur ab arbore rami,
Accipiuntque genus, vitæque exordia ducunt.

// naturæ exornet ad instar;

12. Atque arbor veluti plures habet unica ramos,
Plurimaque unus habet ramus redolentia poma:
Sic multas Divina tenet Subſtantia dotes,
Si numero clauſas, certaſque potentia, & actu,
Perfectas ſine fine tamen, ſine fine micantes;
Inde, creaturæ quidquid virtutis habebunt,
Quale & cumque tenent, & quandocumque, ubicumque,
Hæc habet Omnipotens, ſed vel virtute, vel actu.
13. Gentiles pudeat turbam coluiſſe Deorum,
Et turpes celebraſſe Deas, Veneremque nefandam,
Lemniacumque Fabrum, Moderatoremque Profundi
Neptunum, inceſtumque Jovem, triviamque Dianam.
Quid memorem Alcidem, Faunos, Dryadaſque puellas,
Semiviros Satyros, Nimphas, profugoſque Penates?
Unicus eſt Deus, unum ter venerabile Numen,
Rex Superumque, hominumque, & Cœli præſes, & Orbis.
14. Sit Deus ergo unus, ſimplexque ſit, omnis & expers
Materiæ, formæ, partis, gradibuſque remotus.
In ſe individuus, nec non diviſus ab omni
Toto totus ineſt; & ſi quid mente prehendis,
Totum mente capis, totum licèt ipſe, vel ullus
Aliger haud ſublime queat comprendere ſimplex,
Cernere nec valeat, validas ſuperaddere vires,
Ni ſuperaſque velit ſpecies infundere Olympus.
15. Eſt Deus immenſus; circum undique, & undique ſedem
Collocat, & terras, pontumque, erebumque profundum,
Aereaſque plagas, effuſique atria Cœli
Majeſtate replet, Vacuique patentia tractus
Limina, diffuſaſque domos (nil vocibus iſtis
Muſa vocare ſolet) diffuſo Numine complet.
Illum exiſtentem, ſed non, ibi dicere, fas eſt;
Eſt Vacuum ſedenim vacuum ſine imagine nomen.
16. Qua ratione Polum replet? qua condidit Axes?
Aera qua fecit, fortè illa vi aera complet?
Robore quo facit ex nihilo ſplendeſcere mundum;
Hoc orbi ſedet, hoc vaſti ſpatia occupat Orbis?
Ipſe dedit pelago extremos circumdare fines;
Hoſce illa tractus numquid virtute coronat?
Ut Deus Omnipotens marmor, terram, Æthera condit;
Ut verò immenſus Vacuumque replevit, & Orbem.

17. Aſt

17. Aſt qui proprietas ſecernitur altera ab una,
Quique Relativa, ac Eſſentia diſſita fulgent?
Num virtute abſunt, num re? medium inter utrumque
Ire placet vel iter? medio tutiſſimus ibis,
Ut Scoto libuit primùm, (ſic fama vagatur)
Illaque conſimili diſtinguier ordine, lætus
Inde canas: datur hinc contradictoria abire
Plurima, deformes nec ineſſe Tonante Chimæras.

De Scientia, Voluntate Dei, & Prædeſtinatione.

18. Eſt quoque cognoſcens; quin & ſapientia eidem
Æternùm omnis ineſt, & ab ipſo enaſcitur omnis.
Non ſecus ac tumido fluit omnis ab æquore rivus,
Omnis & è rutilo lux gignitur aurea ſole.
Non tamen eſt ſapiens, quia ſit vel ſpiritus, expers
Vel ſit materiæ, vel fæce ſolutus ab omni.
Bruta, homines norunt, quamvis ſint corpore creti,
Corporeaque graves ſint mole, & pulvere turpes.
19. Illi non inſunt habitus, ſimulacra nec ulla,
Et rerum ſpecies. Sunt iſta piacula mentis.
Intellectus ineſt, & primo fulget in actu;
Actu ſejunctum verùm hunc, ne crede, ſecundo.
Ambo res eadem, ratio unica, & unica rei
Summæ res. noſtrum ſic mens, ſic ipſa voluntas,
Atque facultates reliquæ, quas ſpiritus unus
Detinet, unius rei ſunt unica proles.
20. Quam dicunt mediam, non illa ſcientia mentem
Divinam decorat; decorat tum viſio rerum,
Notio tum ſimplex, quorum omnipotentis Olympi
Gignere vis valeat, nihiloque educere poſſit.
Hinc reliquas dicas aut vana inſomnia mentis,
Vel larvas. quæ ſunt ſub conditione futura,
Illa Deus novit, ſi primùm certa voluntas
Præeat illa dein ſub conditione creandi.

21. Omnia

21. Omnia cognoſcit, quæ ſunt præſentia, quæque
Præteriere, manent ulli nec mente repoſta,
Et quæ poſtremis poſtremum viderit annis
Tempus, & Æternum; verùm videt omnia verax,
Cunctaque metitur, veluti natura creatrix
Eſſe cuique dedit, rectiſque obtutibus haurit;
Inde futura ſibi non ut præſentia cernit;
Conſpicit illa, ſuis ut erunt ventura diebus.
22. Cuncta quidem novit, ſed nil agnoſcit in illis;
In ſe cuncta videt, quicquid videt ipſe creatum.
Nil mortale ſonans habet immutabile Numen;
Hinc nihil ex illis haurit, nihil accipit ipſum.
Se Deus ergo videns non ut vel cuncta potentem,
Et rerum cauſam, aut ſpeciem, ſpeculumque coruſcum,
Se ſed ut objectum verum ſine fine tuendo,
Cuncta videt, rimaturque omnia, & omnia novit.
23. Ut tamen inſpiciat, quæ ſeu voluentibus annis
Forſan erunt, ſive antiquis abiere diebus,
Seu modo conſiſtant; opus eſt, ut certa voluntas,
Decretumque Dei dulci compagine jungat
Strictiùs illa Deo, vel libertate fruantur,
Vel ſorte eveniant, ſeu vi cogente creentur.
Aſt hoc decretum noſtros non prævenit actus,
Nec ſequitur; comes it, comitatur eoſdem.
24. Inde canas, decreta Dei, ſupremaque juſſa,
Æternùm quamvis præeant, nec tollere dulcem
Aut libertatem exhaurire, inferre nec ullam
Vim; cogunt, præeunt quæ causâ, effectaque gignunt;
Ante aliud: ſic me ſi, Petre, ligamine vincis
Ante meum conſenſum, injuſtus lædis amicam
Tunc libertatem: ſed ſi, me judice, vincis,
Non injuſtus eris, nec libertate carebo.
25. Sit licèt immotus, valeat mutare nec actus
Ipſe Deus, ſumma gaudet, ſummaque potitur
Libertate tamen: terras hinc, Æthera, pontum,
Aeraque ex nihilo juſſit ſplendeſcere liber.
Eſt verò liber, quia tranſiit omnia ſupra
Liber, & haud ullo fecit cogente creata.
Ipſa etiam meliora facit ſic liber, ut illa
Infeciſſe queat, poſthac & condere numquam.

26. Et

Digitized by Google

26. Et ſi natura non eſt mutabilis unquam,
Æternùmque manet Deus, æternùmque manebit;
Non minùs immota eſt, minùs aut æterna voluntas.
Quæ promiſſa dedit, ſervat promiſſa fidelis.
Flamma dabit lymphas, ignem dabit unda voracem,
Aſtra feret tellus, Cœlum findetur aratro,
Præcipitique retro labentur flumina curſu;
Quàm pactam violare fidem immutabile Numen.
27. Debilis eſt noſtrum, nec quid facit ipſa voluntas,
Et ſi pauca facit, ſuffulta juvamine dextræ
Efficit. Omnipotens ſecus eſt divina voluntas.
Cuncta facit, quæcumque placent, ejuſque voluntas
Eſt opus. aſtra velit, fulgeſcunt ſidera Cœlo.
Æquora ſurda vocet, veniunt velut agmine facto
Æquorei fluctus. rapidaſne accerſerit auras?
Præcipitant venti, ac ſpumas ſuper Æthera jactant.
28. Reſpice formicas, culices, turbamque volantum,
Quadrupedumque genus, tempeſtateſque ſonoras,
Informem oceanum, Aligerumque, hominumq; phalanges,
Mens reperit jus cuique ſuum divina voluntas,
Æternùmque illis ſtatuit, ~~ordinemque~~, modumque
Tempore diſtribuit, quo finem attingere poſſint.
Hinc inferre licet, non ſiſtere mente Proæeam,
Sola facit ſedenim, & ~~medium~~ dat ſola voluntas.
29. Poſtquam res omnes, & noſtros viderit actus
Omnipotens, meritis tunc nos vel deſtinat aſtris,
Seu ſtygiis, renuens quamquam, nos devovet umbris.
Hæc libertatem non tollere dixerit ullus,
Hæreſis aſſertor quamvis, & perfidus hoſtis;
Cuncta cohærere, & ſacris quin conſona libris
Viderit, expendet ſi juſto examine dogma,
Et reliqua Authorum placita, & theoremata ſacra.
30. Tam vitæ, mortiſque librum ſibi mente repoſitum,
Occultumque Deus retinet: fatale volumen!
Fataliſque liber! cunctorum certa ſalutis
Hoc inſcripta dies, hoc irrevocabile tempus
Inſculptum pœnæ manet, & movet ordine nemo.
Iſte liber verò mens eſt divina Tonantis,
Qua videt æternæ fruituros lumine vitæ,
Aut Phlegethontææ claudendos carceris antro.

31. O ſe-

31. O felix nimium, qui vitæ ſcribitur Albo!
Quiſque equidem poterit, ſupremum cernere Numen,
Hoc tamen haud dabitur cunctis: ſors tanta repoſcit,
Quos triplici ſignat triplex ex hoſte triumphus.
Quàm multi ad cœnam Domino mandante vocantur,
Sed paucos elegit eos! ad Olympia quondam
Currebant plures bijugis, ſed præmia pauci,
Et pauci egregiam poterant acquirere palmam.
32. Cernere non quibunt illapſu Numinis, ictu
Corporei aut ſenſus; mentis molimine, mentis
Intuitu ſolùm datur adſpectare Tonantem.
Hunc verò intuitum cœleſti & lumine fulta,
Viquc ſua gignit mens; neutrum gignere tantùm
Illorum potis eſt: divini viſio Verbi
Poſcit opem ſuperam: viſus, vitalis & actus
Principium vitale petunt, mentemque creatam.
33. Aligerum hinc, hominumque nequit mens ulla creari,
Viribus innatis, quæque innatà indole ſolùm
Conſpexiſſe Deum, Trinumque inviſere Numen
Exigat; hinc etiam non ulla creabitur unquam
Natura, ingenità quæ vi diſponere tanto
Officio ſe ſe valeat, licèt ipſe ſupremæ
Omnipotens Genitor fungatur munere cauſæ.
Tam ſublimè volo, tueor dum mente Tonantem.
34. An poſſis ſine Patre Satum, ſine Prole Parentem;
Atque Paracletum ſine utroque videre potentem,
Quærere ſi lubeat: Scoti theoremata ſector.
Non tamen è contra Triadem potes ipſe tueri,
Naturam ni cernis adhuc; quæ cætera circum
Stare Deum affirmant, inviſo & nomine Muſis,
Attributa vocant, qui ſacra arcana reſolvunt,
Abſque aliis unum pariter poſſum ipſe videre.
35. Lumine conſpiciam, quod Gloria nomine donat:
Hoc verò eſt menti virtus intrinſecùs hærens,
Naturæ & toto ſtatuens illam ordine ſupra.
Si tamen ipſe velit terræ, cœlique Creator,
Cunctipotenſque Sator, tali ſine lumine poſſet
Mens vidiſſe Deum, ſi vis extrinſecùs olli
Magna Dei aſſiſtat; veluti miracula patras,
Si tibi ſe jungat virtus ſuprema Tonantis.

36. Quod

36. Quod ſi cumque vident omnes dum mente creatum,
Expreſſam efformant ſpeciem, quam dicere verbum
Non dubitant: ſic cælicolas eſſingere talem
Aſſerimus ſpeciem, quam ſi appellare placeret
Fors verbum, tibi ſponte dabo. ſed fortè Beati
Impreſsâ poterunt uti quoque imagine? poſſunt,
In qua non videant, verùm qua lumina Trino
Defigant, unique Deo, verbumque reſolvant.
37. Cœlicolæ norunt Trinumque, unumque Tonantem,
Et facie aſpiciunt; aſt illos rite latere
Ulla profunda Dei, veteres dixere parentes.
Hinc ideo canimus rectè, comprendere nullum
Poſſe Deum; non ſi Chriſtus foret ille, vel alter
Virtute inſignis, ſi vi tamen ipſe creatâ
Noſceret; hinc pariter quiſquam nec cernere cuncta
Poſſet, quæ valeat producere Conditor Orbis.
38. Stella velut ſtellam, Solque aureus anteit aſtra
Lumine; cœlicolas ſic hoſce præire nitore,
Et mage felices aliis fulgeſcere cœlo,
Edocet alma Fides: meritum diſcrimina fecit,
Et faciet, non mens umquam, non inſita virtus.
Urbe gradus tribuit, meritumque impertit honores
Civibus; aſt apto veniens in corpore forma
Ipſa gradus nunquam, nec præmia deferet ulli.
39. Nemo Deum vidit noſtro peregrinus in Orbe,
Nec viſurus erit. Cœlo fidiſſimus Abram,
Et magnus dux Iſacides, & magnus Joſeph,
Qui pavit puerum, & puero dedit oſcula Jeſu,
Non videre Deum, ſed ſolo enigmate norunt.
Mater mente priùs concepit amabile Verbum,
Et vidit, quàm utero pareret, geſtaret & ulnis.
Vidit: at intuitus fuit ille volucrior aurà.

De Sanctiſſima Trinitate.

40. FEr mihi rurſus opem, vireſque, Seraphice Vates,
Aonias renova, ut digna cecinisse Camænâ
Auguſtam liceat Triadem; qui Numine ab uno
Profluat ipſa Trias, nec creſcat turba Deorum;
Sit ſed adhuc Deus unus; quæ diſtinctio fulget
Perſonas inter divas, atque ardua quæque
Pangere divinæ Triados. Tibi nomina mille,
Mille juvandi artes, & dulcem reddere cantum.
41. Si vigili ſub mente putem primordia rerum,
Naturæque ſinus omnes, omneſque latebras
Explorare juvat, ſeu quæ ſuper æthera fulgent,
Viſcera ſeu terræ claudant, ſive obvia ſenſu
Nudantur, nihil eſt, quo Trinum noſcere, & unum
Mens valeat Numen; tantæ myſteria rei
Cognitione hominum, Aligerum quoque longiùs abſunt,
Sidera quàm terris, Phœbique occaſus, & ortus.
42. Ne tamen iſta putes aut adverſantia vero,
Quod natura docet, ſeu vanas eſſe chimæras.
Quæ docet alma Fides, & ſunt altiſſima captu,
Suntque aciem ſupra mentis. Ter dicitur Unum,
Atque Unum eſt Trinum nullo diſcrimine veri.
Sic licèt una arbos, radixque ſit arboris una,
Inde tamen cerno, plures excreſcere ramos;
Effulgent Anima pluresque potentiæ in una.
43. Eſt via ad Auguſtam Triadem proceſſio, nomen
Cui dat origo ſuum, numero concluſa quaterno.
Prima dat eſſe Patri, Genito dabit eſſe ſecunda.
Tertia ſed tangit, ſpirans nempe actus, utrumque;
Ultima divinum fecit flameſcere Amorem.
Dicimus activas geminas, geminaſque vocamus
Paſſivas; verùm tum paſſio nulla Tonantem
Deturpat, Triadem tum non ulla actio obumbrat.

44. Aſt

Digitized by Google

44. Aſt non naturâ manat proceſſio Verbi,
Flaminis & Sacri. Fœcundo labitur ore
Mentis prima, voluntatis ſed corde ſecunda.
Sed non emanant, vel dum Deus ardet amore,
Vel dum mens novit, noſcendo & anhelà penetrat
Divinum objectum. Dicendo prima reſultat,
Altera ſpirando egreditur. Non notio rerum,
Non fœcundus amor: Spiratio, Dictio gignunt.
45. Prima tamen ſolùm generatio rite vocatur;
Gignitur hinc ſoboles, proleſque enaſcitur una,
Non gemini nati, aut geminum ſpirabile Numen;
Unus enim ut Patri ſimilis progignitur; alter
Non ità procedit, veluti ſed amabile donum
Prodit utroque fluens: hinc natus dicitur ille,
Spiritus hic verò ſanctus; diſcrimina tantùm
Sola & imago facit, ſimiliſque per omnia forma.
46. Ter decorat Perſona Deum, Perſonaque Trina.
Sic Deus eſt Genitor, Soboles, & Spiritus almus.
Subſiſtunt omnes, & ſola relatio donat
Vivere ſic illis, ſed quæ ſit origine nixa.
Inde Deo haud datur unica ſubſiſtentia, trinas
Admiſiſſe lubet, penitus quin addere quartam
Nos adigit ratio, nec dogmata priſca repugnant.
Divinæ hæc verò naturæ innixa reſulget.
47. Tempore, nec cauſà; ſola ſed origine præit
Progeniem Pater, Hic, & Natus utroque fluentem.
Una alii Perſona ſedet, ſed & inſidet illi
Altera, ~~& alternè~~ conſidunt omnibus omnes:
Quidquid enim virtutis habet, vel poſſidet unus,
Omne id & alter habet; ſimiles hinc dicito, & illos
Profiteare pares, & nullo diſcrimine haberi;
Quin jure æquali ſibi reſpondere viciſſim.
48. Quanta ſit, aut qualis, vel quæ diſtinctio fulget
Perſonas inter Triadis, ne quære, Fidelis.
Non ſpecies, non umbra levis, ſimulacraque rerum
Hauriri poterunt aut vera, aut vana, ut adumbres
Rem talem, ac tantam, nec dictu effabilis ulli.
Ergo Perſona tantùm datur alter, & alter.
Si ratio te nulla movet, qui fallere nolunt,
Nec falli poſſunt, moveant hoc credere Vates.

49. Miſſio

49. Miſſio qualis erit? cui fas vel mittere, mitti
Vel valet? Unigenæ mittique, & mittere Nato
Convenit; at Patri haud mitti, ſed mittere fas eſt;
Spiritus alme, vales mitti, non mittere; nulla
Attamen ipſe cares virtute, nec eſſe vel impar,
Aut reliquis minor eſſe potes; perfectio, virtus
Divinæ ſed enim Naturæ in vertice celſo
Fundamenta locant, & iiſdem ſedibus hærent.
50. Virtutem hinc ullam non præbet originis ordo,
Perſonæ at numerum tantùm dat habere Tonanti;
Inſuper & præbet diſtinctum noſcere ab uno
Alterum, & hinc cœpit conſurgere Notio, & actus;
Notio quem donat deſpecto nomine Muſis.
Ille quatergemino numeri concluditur orbe,
Clauditur hæc quino. numerum non augeat ullus,
Nec minuat. Poſitos fas nulli evellere fines.
51. Quæ prior illuſtrat Triadem Perſona ſupremam,
Eſt Pater, ingenitus Genitor, Deitatis origo,
Principium ſine principio, ſine tempore, ſemper,
Æternùm & generans; ſed non confectus ab ævo,
Et ſine fonte mare immenſum, & ſine origine primum.
Primum hercle; aſt aliud non ipſi accedit, at alter.
Primum equidem, at rerum numerum non inchoat; almæ
Tantùm ſed Triados Perſonas incipit ipſe.
52. Si Latios audire lubet, Pater alme, vocari
Cauſa nequis Nati; Danaum ſi dogmata ſecter,
Jure potes: tricas aliis de nomine linquo.
Principium Geniti nullo inficiante vocabis,
Et Sanctæ authorem Triadis, fontemque priorem;
Noſtrorum verò Patrem ceciniſſe juvabit;
Quin decet, & teneor, ſi juſſa capeſſere fas eſt;
Attamen ut ſolùm Deus eſt, hoc nomine gaudet.
53. Mira, & vera canam, ſacris quin conſona libris.
Æternùm loquitur Pater, æternùmque loquetur:
Attamen eſt cuſtos, ſanctique ſilentii amicus:
Nam ſemel eſt fatus, ſolùmque effabitur unum,
Æternùm Verbum: reliquis dat gignere plures,
Et plures natos, aſt unam gignere tantùm
Progeniem valet, ac unam generare neceſſe eſt;
Nec foret ipſe Deus, Natum niſi gigneret unum.

54. Sed

54. Sed poſtquam gignit Natum, ſed origine ſolùm,
Ardeſcens ſpirat divini Flamen amoris:
Nec tantùm Pater unus, ſed Pater, ipſaque Proles
Tantum opus abſolvit. non hic ſub mente volutes
Infirmum Patrem, vel Filium egere Parente.
Tanto operi ſatis eſt Genitor, Genituſque ſat eſſet.
Ergo ſimul Flamen ſpirant, namque omnia Nato,
Eſſe Patrem præter, Genitor conceſſerat almo.
55. Filius, & Verbum, nec non Genitoris imago
Dicitur indubiè Triadis Perſona ſecunda.
Propria & hæc dicas ipſius nomina, & iſtis
Diſtincta à reliquis fulget; ſed cætera, fertur,
Nomina, queis multis, ne propria rere, fidelis.
Quà ratione tamen ſolùm illi hæc nomina donant.
Cui loquitur Genitor, dum promit amabile Verbum?
Non ſibi, non alii, ſed Verbo voce profatur.
56. Se dicit Verbo Genitor, Genitumque, & Amorem,
~~Et quæ circumſtant Divinæ Eſſentiæ~~, & ipſam.
Quæ virtute manent, & quæ virtute coruſcant,
Illa quidem loquitur; ſigno verùm illa ſecundo
Exprimit, haud primo. quæ ſunt finita, priora
Eſſe, nefas. Genitor, nec Dictio grandior inde
Exit, & excellens. ad plura extenditur ergo
Solùm, attingit ſolùm plura, & imagine pingit.
57. Sed qua notitia rerum procedere Natum
Jure canam? unius tantùm, mirabile dictu!
Nempe Dei, Geniti pariter, Genitoris, & almi
Flaminis; at periturarum quid notio rerum,
Quæ ſunt, quæ fuerint, & quæ voluentibus annis
Evenient, ſeù quæ omnipotens producere poſſet,
Unigenæ prodeſſe, nequit: foret ille beatus,
Ut priùs, æqua foret virtus, foret æqua poteſtas.
58. Tertia procedit Triadis Perſona ſupremæ,
Spiritus, & Sanctus proprio cognomine fertur,
Et Proli communis amor, Patrique potenti,
Ambobus geniale bonum, geniale ligamen;
Cum Genito, & Genitore Deus, cum Numine Numen,
Sol de Sole micans, claro de lumine ſplendor;
Vis immenſa Dei, Natique, Patriſque voluptas,
Dextera, cor, virtus, donum venerabile, & ardor.

Naturamque Dei decorant quæ plurima.

59. A Patre, & Nato prodit ſpirabile Numen;
Non tamen ut duplicis perſonæ munere gaudent,
Aſt ut origo eadem ſunt, & fons unus, eàdem
Utque voluntatis virtute potitur uterque;
Spiritus hinc Nato ſi non prodiret ab almo,
Spiritus almus adhuc alter fulgeret, & alter.
Dicere ſic multis adigor, nec Biblia Sacra,
Nec veterum doctrina Patrum, nec ſcripta repugnant.
60. Iſte Deus generat, Deus hic generatur. Amorem
Iſte Deus ſpirat, Deus hic ſpiratur ab illis.
Haſce theſes veneror, ſimileſque probabimus ultro.
Progignit Deitas, ſpirat, ſpiratur, & edit;
Reiicit haſce Fides, Vatumque effata refellunt.
Errores vitare placet, Triademque Supremam
Rite loqui? fare, ùt veteres fecere magiſtri,
Urgens ni ratio ſtudia in contraria cogat.

LIBER SECUNDUS.

De Creatione Rerum.

1. ORbis erat nondum, necdum Orbes currere in orbem
Præcipites norant, Phæbus nec ſpicula terris
Aurea vibrarat; nec Lunæ argentea lampas
Effulgebat adhuc; & nondum errantia Cœlo
Sidera cernere erat, tempeſtateſque ſonoras
Sævire Oceano, liquidumque per aera ventos,
Terra nec ex nihilo felix emerſerat atro,
Æquore nec terras circumdabat Amphitrite.

2. Nil

Digitized by Google

2. Nil erat æternum, turpis privatio rerum,
Et nox infelix, & inobſervabilis umbra,
Immenſum Vacuum, tenebris lacrymabile opacis,
Tetrum, informe Chaos; verùm, ùt voluere Priores,
Non dixiſſe licet, rudis, indigeſtaque maſſa,
Horrida congerries, rerumque ſine ordine moles:
Hoc vetat alma Fides, nec Sancta oracula poſcunt.
Dic nihilum, ſolumque putes ſine imagine nomen.
3. Unus erat ſolùm Deus, immutabile Numen:
Non ſolus, ſed Trinus erat, tantùmque Beatus
Se ſolo: æterno noſtrum cum victus amore
Hæc ſecum: mene æternùm requieſcere fas eſt,
Dedecet aut, unum, quot novi, ex millibus Orbem
Eruere ex nihilo? an fugit indignata cuiquam
Infinita mei ſeſe diffundere virtus?
Non fugiat, Noſtrum virtutem ſentiat Orbis.
4. Cœlum ergo fiat, Tellus, Lux, Æquora, Phæbus,
Luna, herbæ, flores, plantæ, ac animantia Bruta.
Dixerat Omnipotens, cum circumfuſa repente
Incipit, ex nihilo terrarum emergere, moles,
Fluctibus at merſa oceani, Cœlumque profundum,
Sideribuſque carens, & nulla luce coruſcum.
Lux inde effulget, non ulli corpori inhærens,
Nec de Sole fluens, ſed ſe, mirabile! ſiſtens.
5. Cerne ſed oceanum, fluctus nunc jactat in Æthram;
Nunc fluit, & refluit, fundo nunc æſtuat imo.
Apparet jam terra procul, ſi dicere terram
Fas erit, arentem potiùs vel dicere arenam.
Ecce vices iterum, virides en protulit herbas
Terra, licèt nondum ſit vomere ſciſſa, vel ullo
Semine fœcundata priùs; ſic germinat ultro
Arbuta fructiferos latè extendentia ramos.
6. Lux inopina fugit, Sol aureus, aurea Phæbe
Succedunt luci, micat ille diurnus, at iſta
Noctu; ſic bellè alternant ſibi munera fratres.
Cærula ſed verrunt caudis immania Cete,
Innumerumque genus piſcis; ſecat aera velox
Alituum pennata cohors, & cantibus auras
Mellifluis implent: ſylvis Leo rugit opacis,
Balat ovis prato, fugiuntque per æquora Cervi.

7. Hæc verò aggreſſus non una temporis hora,
Non uno facit illa die, dein ſingula luſtrat,
Explerique nequit mentem, ardeſcitque videndo
Ætheris immenſos tractus, campoſque liquentes,
Flammivomumque rogum, ac agitabilis aeris oras,
Squammigerum, pecudumque genus, genus altivolantum.
Hæc poſtquam, mox cuncta probat, ſecumque volutat;
Qui mare, qui terras æqua ſub lege tenerent.
8. Talia ſcrutanti felix ſententia ſedit.
Ergo capit cænum, cænum præpingue Damaſci,
Dignaturque lutum premere, effingitque premendo
Corporis humani ſtatuam, effigiemque virilem;
In faciem & ſufflans, mentemque, animumque, Animamq;
Inſpirat: mox en, tantæ pietatis imago,
Procedit nova forma viri, procedit Adamus,
Os, humeroſque Deo haud impar, & cœtera præſtans.
9. His demum exactis, perfectiſque ordine cunctis,
Cuncta vocat Deus, ac ingens animalia in agmen
Cogit, ut illa ſuo compellet nomine Adamus.
Paret, & impoſito gaudent cognomine Bruta.
Quæritur hinc ſocius, ſecum qui temperet Orbem,
Connubiique ſacras valeat componere leges.
Nec ſimilis quiſquam, nec par ex agmine tanto
Audet adire virum, & dextræ conjungere dextram.
10. Nec mora, dat juveni placidam per membra quietem
Omnipotens Genitor; tum coſtis eripit unam,
Et vacuum mox carne replet, dein ſurgere juſſit
Virginis in molem, formoſaque pectora coſtam.
Quis credat? jam coſta celer mandata capeſſit,
Induit & vultus, intactæque ora puellæ.
Inſignis facie, ac inſignis lumine Virgo
Ecce micat, matura Viro, jam nubilis annis.
11. Olli ſomnus abit, ſtupet hinc mirabile donum,
Conjugiumque vocat non unquam imitabile factum.
Mox ait, ecce meis os de oſſibus: iſta Virago
Dicatur, de carne Viri namque accipit artus.
Una in carne duo vivent, & fœdere certo
Mollia perpetuò traducent otia læti;
Et Patriam, & Notos, Matremque, Patremque relinquent,
Arctiùs ut thalami jungant conſortia Nati.

12. Con-

12. Connubii hæ leges, hæc lecti fœdera ſunto:
Hæc ſervent Natique mei, Natique Nepotum,
Agnatique omnes, & qui naſcentur ab illis.
Hinc Paradiſiacos luſtrat cum Virgine tractus,
Miraturque hortos, miratur amæna Vireti,
Et magnum in quatuor diviſum flumina fontem;
Hæva ſed explorat ſtudioſo lumine pomum,
Quæ medio ſurgens felicia jugera opacat.

De Angelis.

13. AST quò me rapitis mea carmina? dicere, forſan
Me pudet, Angelicas Mentes, & pangere metro?
Qui locus? undè genus? quæ dotes? tempus, & ævum?
Æternùm duraſſe canam, factaſque profabor
Per Verbum, ante Orbem ſumpſiſſe exordia, & ortas
Fortè ſimul? primane die? genitaſne? creatas?
Dicam equidem breviter dotes, ævumque, locumque;
Et genus egregium, facta omnia munere Verbi.
14. Haſce fide teneo Mentes exiſtere; at illas
Nulla adigit ratio. numerant primordia ab ævo
Quæque ſuo; ex nihilo factas ſe vivere norunt,
Non genitas; ſuperaque Dei virtute creatas,
Certa ſciunt, primaque die ſub nomine Cœli
Accepere genus, nihilo dum noſter ab atro
Orbis abit. ſi terra datur Brutiſque, Hominique:
Angelicæ tenuere ſolum cœleſte phalanges.
15. Æthereum accepere locum, quem ſydera fixa
Lumine colluſtrant, non qui gratiſſima ſedes
Cœlicolis dabitur; requies, & meta laborum
Hic erit, ac operum. longè certamina dura
Hinc aberunt, pax ſola inibi tentoria fixit.
Non inibi ſcelera, & nullæ contagia culpæ,
Nullaque crimina erunt, nec qui peccare valebunt;
Fas, probitaſque habitant inibi, rectumque colentes.

16. Materiæ, & formæ phyſicæ ſine labe cohortes
Angelicæ vivunt, ſeu ſunt ea corpore creta,
Corporea ſeu mole carent; ſi pingere at illas
Aligeros juvenes, populoſque vocare ſupernos,
Et pubem ætheriam, ſimili vel nomine Muſæ
Dicere præcipiant, hominum ne credito gentes,
Seu res corporeas: alio non nomine dicunt,
Talia non etenim Muſæ ni nomina norunt.
17. Horum verò uni ſi Patris ferre ſupremi
Contigit imperium, grajo de nomine fertur
Angelus, at latio miſſum de more vocarent.
Scire lubet numerum? Cœlorum ſydera cenſe,
Si potes, & plures rere effulgeſcere Mentes,
Et numerum ſuperare hominum, numerumque ferarum,
Qui ſint, qui fuerint, & quos ventura videbunt
Sæcula, ſed ſabuli numerum ne vincere credas.
18. Una nec eſt eadem natura, nec omnibus unum
Eſt genus; & numero multos differre putamus,
Ut ſpecie, & numero variari Bruta tuemur.
Immortale decus vitæ, doteſque perennes,
Atque ævum ſine fine trahunt, non munere Olympi,
Indole at innata, quam dat natura creatrix,
Et tales natura facit. ſubſtantia ſimplex
Illos condecorat, nec eos contraria turbant.
19. Quiſque locum replet, non jam quia munera cauſæ
Efficientis obit, vel nec quia corpora movit;
Se replet ipſe locum, ipſe ſui ſubſtantia & implet,
Quodam ſed nexu: Phyſici hunc Ubi nomine dicunt;
Non ſecus ac alia, quæ vili corpore conſtant,
Hoc ſua membra locant: per partes corpora replent;
Aligeri ſed quamque loci partemque, locumque
Se totis totum, dictu mirabile! complent.
20. Res ſibi ut objectas noſcant, & imagine rerum,
Et ſpeciebus egent; ortu accepere priori
Harum non paucas, reliquas molimine mentis
E rebus ſibi quiſque haurit; phantaſmate ſenſus
Ut ſpecies mens noſtra capit; diſcrimine at uno:
Mens trahit ingenti ſpecies humana labore;
Angelus è contra nullo conamine ſumit,
Et ſpecies quin ipſa volens, faciliſque ſequetur.

21. Ve-

21. Verùm quæ noſcunt, & quæ comprendere poſſunt?
Quæ claudit natura ſinu: terram, infera, centrum,
Aera, Bruta, Homines, Spirtus, Auram, Æquora, Montes,
Empyreum, Spheras, Phæbum, Lunam, Aſtra, nec illos
Corde repoſta latent, ea ſint Superumque, hominumque.
Aſt res poſſibiles, quæ nullo vinculo ad Orbem
Præſentem dicunt, nec contingentia norunt,
Quæ quondam ventura vident voluentibus annis.
22. Cernere quin poterunt ſublimia munera Olympi;
Nempe Fidem, Charitemq; piam, &, quæ pectora firmat,
Spem; lumen vitæ pariter, viſumque beatum;
Excipe ſed nexum, fragili quo jungere carni
Se voluit Verbum Patris immortale ſuperni,
Reſque alias ſimiles; & ſic potiore videre
Jure Deum haud poterunt, autrix ni Gratia vires
Elevet ingenitas, aut vis ſuprema Tonantis.
23. Se Aliger, & reliquos Superos, homineſque, Deumque.
Diligit, aut odit; quin, quæ dilexerit antè,
Præterea fugiet; vel quæ contempſerit olim,
Mox amat, & ſummo ſequitur molimine cordis.
Cerne fretum rabidis nunc tempeſtatibus actum,
Undarumque furore fremens, nunc more paludis
Stagnantis placidum ſiluit, poſitiſque procellis
Sternitur, obruiturque gravi torpore ſepultum.
24. Angelus haud aliter, fugit, ardet, diligit, odit,
Mutarique valet, veluti mutabile marmor.
Scire placet cauſam? ſi rerum nulla refulget,
Hæc tibi ſufficiat: ſtat pro ratione voluntas.
Libertatis honos, & virtus neſcia cogi
Haſce vices ſubiiſſe poteſt: hinc juſſa capeſſunt
Aligeri ſi primò omnes, ea frangere poſſent
Tunc olli, & ſceleri laxas concedere habenas.
25. Buccina at interea reſonans ſuper aſtra cruentum
Indicit bellum Superis, martemque laceſſit.
Lucifer illorum magna comitante caterva
Nimirum, primum jam faſtiditus amorem,
Quo ſummo Authori divos perſolvit honores,
In reliquos ferro ruit, ac obſtringere tentat;
Cæptis namque ſuis obſtare audacibus audent,
Atque parem magno renuunt ceciniſſe Tonanti.

26. Ergo acies hinc inde movent, bella aſpera ſurgunt;
Divorum Aligerum ductor cum miſſile torquet
Fulmineum, inſcriptumque notis, mirabile dictu!
Quis ſicut Deus eſt? mox intremere ardua cœli,
Deficere & vires ſtygiæ: fugit ocyor Euro
Lucifer: ac ubi pertingit confinia olympi,
Hærens hic paulùm, furiiſque immanibus actus;
Talia vociferans furibundo reddidit ore.
27. O Patria, ò Divum domus! immortalia regna,
Regna mihi, ſociiſque meis, mihi debita regna.
Æternùm ſalvete, avellor, & infima Mundi,
Injuſto truſus fato, peto tartara nigra;
Vos gemino, heu! fulgere Deo, molimine magno
Ter conatus eram, ter reſtitit invidus ille,
Invidus & vanos ter reddidit ille labores.
Æternùm ſalvete, ruo, peto triſte barathrum.
28. Laberis è ſupera cœli ſic, Lucifer, arce,
Qui ſuper aſtra Dei nuper defigere ſedem
Auſus eras, rapere & ter formidabile nomen?
Tam citò te ſuperi cœperunt tædia honoris?
Quò decor ille abiit? quì forma receſſit ab ore,
Blandaque majeſtas vultu, dulceſque colores,
Egregiuſque nitor capitis? quæ ſigna ſuperni
Ambiti geris imperii? num hæc cornua frontis?
29. Centrum immane petas terræ, execrabile monſtrum;
Te manet ignis ibi, non quem finxere poetæ,
Sed quem dextra Dei, quem juſti Judicis ira
Immenſa accendit. quamvis ſine corpore purum
Te fecit natura parens, & fæce carentem
Materiæ; ille elatus ope tamen ille ſuperna,
Æternis vinclis te ſub caligine habebit,
Incluſuſque antro flamma exurere perenni.
30. Pœna erit hæc ingens, ſed nec mage dira, nec omnis,
Te pœna graviore premet: tu noſcere pridem,
Quæ ſuper aſtra micant, quæ nant maris æquore vaſto,
Aera quæque ſecant, quæ terris clauſa lateſcunt;
Omniaque hæc uno potis es comprendere viſu;
Flamma illa, ille ignis tortor devinciet, uret
Hanc mentem, has dotes. poſthac, quæ fortè placebunt,
Noſcere nec poteris, vel tanto haud impete noſces.
31. Hæc

31. Hæc equidem tolerant, nec non ſine fine ſubibunt
Supplicia inferni Fratres; ſed quiſquis averno
Clauditur haud Orco, pelagi pars humida regna,
Aerios alii campos, ſaltuſque ferarum
Invadunt alii, caros dixere penates
Priſci. ſit genios fas hoſce vocare volantes.
Hi quandoque cient tempeſtateſque furentes;
Et quandoque domos errant, lepidique jocantur.

De Divina Gratia.

32. SEd quos Ditis habet vinctos, quos claudit Avernus,
Arbiter ipſe Erebi ſuperas evadere ad auras
Imperat interdum, noſtrumque irrumpere in Orbem.
Nec paradiſiacis campiſque, hortiſque pepercit.
Ecce inimicus atrox diræ ſub imaginis angue
Se inſinuat tacitus, ſeptena volumina verſans,
Floreaque invadens Paradiſi rura pependit
Arbore ab auricoma, ſtultè quam ſuſpicit Hæva.
33. Hanc prior aggreditur, dictiſque ita fatur amicis.
Dic, precor, ò virgo, pendere ex arbore poma
Jam matura vides, viſu pulcherrima, guſtu
Nec jucunda minùs. cur illa attingere duro
Imperio vetuit Genitor? cur mandere terret?
Ille ſcit egregias vires, & munera fructus:
Ipſe oculos aperit, rectumque, malumque ſcientes
Ipſe facit, quin omniſcios, ſimileſque Tonanti.
34. O' mulier, ſi fortè, meis nunc credere dictis,
Dignum habeas, nimiùm violenta reſolvere jura.
Auctor ero audendi, vetitoſque abſumere fœtus.
Eja, age, rumpe moras: audaces fata juvabunt.
Te manus erudiat; pulchrum decerpito pomum.
Quin aude cari mentem tentare mariti.
Vivite felices, & vos æquate Tonanti.
Dux ego veſter ero; dapibus jam veſcere, & aude.

35. Illa

35. Illa novo decepta dolo, fructumque comedit,
Nec furto contenta ſuo, mox mandere ſponſum
Incitat illecebris. notum quid fœmina poſſit,
Si quid poſſe velit. fallaci concidit Adam
Devictus telo, ſtimuloque ſubactus inani
Poſthabet incautus ſponſæ vitamque perennem,
Augnſtaſque Dei leges, hominumque ſalutem,
Fortunatorumque locos, ſedeſque beatas.
36. Quot bona avernalis violarunt verba colubri!
Quot mala progenuit maleſana comeſtio mali!
Amiſſum ingemimus regnum, ſortemque beatam,
Et ſine ſorte dies. gemimus mentiſque, animique
Diſſidia, & dubios motus, cordiſque tumultus.
Spes, timor, ira, quies, ratio, caro, gaudia, mœror
Alternant ſine lege vices, ſeriemque malorum
Æternam faciunt, animamque perenniter angunt.
37. Hæc verùm nihil eſſe putes, ni culpa nepotes,
Empyrei & miſeros repuliſſet ab Axe parentes,
Clauſiſſet Sacras adamantino & obiice portas.
Detruſi Patriam querulæ Babilonis ad Urbem
Plangimus, & mœſtis reſonat clamoribus aer.
Chara Sion, dilecta Sion, felicia Regna,
Lumen inocciduum, portus, ſpes, meta laborum,
Quæ tibi nos rapuit nimiùm delira cupido?
38. Sic genus humanum dolet, æternùmque doleret:
omines At Pater omnipotens noſtrum miſeratus ab alto
Divinam celeravit opem, auxilioque levatos
Nos voluit, quo celſa poli, quo ſplendida cœli
Tecta ſubire datur, ſuperaſque evadere ad arces.
Hoc verò auxilium Supremi eſt gratia Regis,
Quam nobis Rex ipſe ingenti munere donat,
Infunditque Animæ, quaque ipſi vivimus aſtris.
39. Salve, grande nimis Divini pignus amoris,
Ornamentum Animæ magnum, Cœleſte Chariſma,
Æternæ ſignum vitæ, & mirabile ſemen:
Labere jam terris, noſtroque illabere cordi;
Luce tua expellas noſtrum de mente tenebras,
Securamque viam doceas, & dirige greſſus
Ancipites, pariterque mihi da noſcere verum,
Ut te digna canam, & merito modulamine laudem.

40. Te

Digitized by Google

40. Te ſine cæcutit, tenebriſque involuitur atris
Lapſus homo, errorum immenſo ab gurgite merſus.
Non tantùm ſed enim ſuperum cognoſcere verum,
Te ſine non poterit, ſed nec, quæ cuncta repandit
Ars Phyſicæ, quæque ipſa docet plura Ethica morum.
Te ſine primus homo, ſine te ſed prima genitrix,
Et nati natorum, quique orerentur ab illis
Hæc noſſent, vetitas hic ſi non manderet eſcas.
41. Vix bene quid peragent ſine te, quod provida gentes
Naturæ præcepta docent; vix Dæmonis artes,
Conatuſque breves, leviumque, operumque labores
Exiguos ſubiiſſe queunt: tentamina magna,
Tartareoſque graves aſtus, ſtudia ardua Ditis,
Difficileſque dolos, & nativæ indolis acres
Impulſus, ſenſuque irritamenta ferocis
Te, Sanctoque tuo nunquam ſine numine vincent.
42. Teque, tuiſque dabunt nunquam ſine vocibus ullum,
Sicut oportet, opus, nullumque, *ut oportet*, habebunt
Afflatum mentis, nullum vel cordis amorem,
Nullumque impulſum, nec ſe diſponere Cœlo.
Te ſine nulla quies, nihil eſt ſubiiſſe labores,
Non merces, non dona manent, ſpes nulla ſalutis.
Hoc magno tu ſtella mari, firmiſſima noſtro
Anchora naufragio, & miſeræ Cynoſura Carinæ.
43. Sed quæ muſa valet non impare pangere verſu
Officia, effectus, munus, quæ Gratia præſtat?
Ipſa Dei noſtris offenſi erroribus iram
Temperat; ipſa luit pœnas, quas ſolvere culpis
Jure teneremur, poſtquam, ſuccumbere fato
Contingerit, mortiſque nigras migrare ſub umbras.
Abluit ipſa nefas, turpes lavat ipſa reatus,
Expiat omne ſcelus, cunctorum & crimina mundat.
44. Prævenit ad pium opus, ſuadet, movet, excitat, urget,
Vim tamen haud infert; ſiquidem valet impius, illam
Pellere: & ò utinam poſſet depellere nemo!
Sufficiens præſto eſt cunctis, Mauroque, Getæque,
Quique Tigrim, Gangemque bibunt, Nilumque feracem,
Urſaque quos, brumis horrens, Erimanthis adurit.
Efficit ipſa eadem, ſi juncta operoſa voluntas
Audiat inſtinctus, monitumque ſequatur amicum.

45. Hos

45. Hos equidem donat præſtantes Gratia fructus,
Actus cui nomen dederat. quos Gratia porrò
Sanctificans tribuat, quique ipſa creetur ab alto,
Atque animam decoret, breviter meminiſſe neceſſe eſt.
Ergo Anima interiùs plorat dum victa dolore
Reſpiciente Deum, ſcelus aufugit ocyùs aura,
Juſtitiæque ut ſponſa Dei veſtitur amictu,
Et micat, ut medio rutilat Sol aureus axe.

46. Inſeritur pariter, reliqua comitante caterva
Virtutum, intemerata Fides, Spes firma timoris
Expultrix, divique altrix dulciſſima amoris
Sancta Charis. noctem veluti dum diſcutit ortus,
Umbras nec tantùm cernes vaneſcere cœcas,
Sed lucem, & lumen, radiumque effulgere Cœlo;
Dumque iterùm redeunt rediviva cadavera ad auras,
Nec dum mors abit, aſt rurſus nova forma creatur.

47. Gratia ſanctificans ergo nos crimine mundat,
Eluit atque Animæ ſordes, & fœda piacla,
Et puros ſine labe facit: nos inſerit aſtris,
Ut Cœli hæredes, atque Omnipotentis amicos.
Quin natos facit eſſe ſuos, verèque vocari,
Imperat, & ſummo veluti cum Numine adæquans.
Tantùm homines ardet Cœli Dominator, & Orbis;
Tanto animam decorat Cœleſtis munere ſponſus.

48. Aſpice regalem regali lumine cultam,
Quam ſibi devinxit thalami Rex fœdere ſponſam,
Tempora cui rutilant gemmis, micat auris in aure,
Unioque innectit crines, & lilia frontem
Nativa pinxere nive, collumque monile,
Condecorantque anuli digitos, cui palla adamante,
Atque auro riguit, multo intertexta ſmaragdo
Pulchrior eſt ſpecies, & Numen Amantis imago.

49. Diſſimile hoc unum: cognato lumine gemmæ
Illa micat, radioſque aurum innata indole vibrat;
Numinis at nutu ſua munera Gratia præſtat,
Atque animam decorat. Populorum ut lege poteſtas
Regia conſtituit Regem, imperioque potentem
Viribus haud propriis. Summum dat amare Tonantem
Gratia vi tamen ipſa ſua; pulcherrimus idem
Eſt habitus ſed enim, ſuperum qui gignit amorem.

50. Hinc

50. Hinc licet, haſce theſes juſto deducere jure.
Si velit Omnipotens, ſupremo munere fungi,
Peccatum poterit, necnon & Gratia eodem
Degere ſubjecto: crimen delebitur omne,
Peccantem haud pudeat quamvis, nullumque dolorem
Pectore depromat: quin ſe Divina voluntas,
Omnes ex Anima, potis eſt, depellere culpas,
Motus quamquam Animæ phyſicus non accidit ullus.
51. Cœlipotens Genitor, nutu qui cuncta gubernas,
Quoſque jubes, ſalvas, meritoſque addicis Averno,
Quæque facis, ſanctèque facis, decernis & æquum,
Æternùm & ſtatues: decorat quos Gratia, quoſque
Vitæ fine, atraque die decorabit? ò altum
Numinis arbitrium, rerum inſcrutabilis ordo!
Quos fore ſervandos rebar, lachrymabile fatum
Fortè manere illos, pandet pòſt exitus ingens.
52. Ergo licèt magni legem ſervaſſe Tonantis,
Et meritam, nobis viſum, traducere vitam:
Conſiliis agimur divis, monitiſque jubemur,
Vivere adhuc dubios, decoret quos Gratia Cœli;
Incertos, quæ regna manent, quò tendere detur:
Qui mihi finis erit, num me vel poſcat Olympus,
Vel loca ſenta ſitu, loca averna, horrentia flammis,
At denſis obſcura umbris, loca tetra morentur.
53. Cymba velut reſlui quamvis per Cærula ponti
Felici curſum crebrò confecerit aurâ;
Attamen haud poterit certam ſpondere ſalutem
Ipſa ſibi, nautæ nec fas, ſe credere tutum.
Dextrum Scylla latus tenet irrequieta, ſiniſtrum
Obſidet haud unquam ratibus ſaturata Charybdis.
Certus eris, divum ſi fortè afflaberis ipſe
Vocibus Aligerum, Cœlo ſive auſpice diſces.
54. Sive autem dicas, nihili de vortice inani
Educi, ſive ex Anima deducier illam
Suprema virtute Dei; veracia panges,
Damnabit quiſquam nec te de crimine falſi.
Verum utrumque puto; primum, ſi credere Scoto
Dignum rere; aliud, divum ſi ſecter Aquinam.
Aſt Animam inſignit quamquam, non inſidet olli;
Ipſa voluntati ſubſternitur, ipſaque inhæret.

55. For-

55. Forſitan hic, Meriti fuerit, quæ certa, requires,
Conditio. Hoc primùm: ſumma congaudeat actus
Libertate: bonus; quin ſit bonus undique: fiat
Inſpirante Deo, ejuſque auxiliaribus almam
Viribus aſpiciat lucem; dein Numinis illud
Decretum ſociet divi, inviolabile pactum.
Hoc ſine rectus erit, ſanctus, quin optimus actus,
Præmio & æqualis, nec non condignus olympo;
56. Nil meruiſſe tamen poterit, Rexque altus Olympi
Præmia nulla daret, nulloque rependere jure
Ipſe teneretur; non ulli eſt debitor ille,
Cui mare, cui tellus, Cœlum cui, ſydera, & Orbes,
Undivaguſque aer, ac immenſi æquora ponti
Seque, ſuumque genus debent; à quo agmina divum
Aligerum, Cœtuſque hominum, ſortemque, decuſque,
Divitias, doteſque ſuas, ſua munera norunt.
57. Quæ verò vivent iterum, quæ vivere rurſus
Non poterunt merita? illa iterum rediviva niteſcent,
Queis primùm licuit, Cœleſtem ducere vitam,
Criminis inde ictu languent confoſſa cruento.
Sed queis largitum fuerat non vivere primùm,
Poſtea nec vivent: veluti ſine lumine vitæ
Embrio progenitus lucis non ebibet auras.
Si priùs haud vixit, potis eſt qui, vivere rurſum?
58. Internum exterior ſi unquam comitabitur actum;
Plus bonitatis habet, meritumque augeſcit eundo.
Sin ſecus acciderit, talis nec copula detur,
Tunc meritum minui, atque ipſum bonitate minorem
Actum ritè putes: veluti ſuperaddere molem,
Si moli placeat, ſeſe ſuſtollere molem,
Illam pauliſper verò decreſcere cernes,
Si cui fortè lubet, modicum quid demere ab ipſa.
59. Hinc caſus tibi finge duos: hic martyr obivit,
Fundens innocuum pro Relligione cruorem;
Seu docet ignaros ſacrarum myſtica rerum;
Aut Cypridos fugiens irritamenta nefandæ,
Æternùm colit almum virginitatis honorem.
Alter at hæc equidem votis ardentibus optat,
Non tamen exequitur: magna illum præmia Cœlo,
Inferiora manent hunc inferiora ſequutum.

60. De

De Actibus Humanis.

60. Dilexiſſe valet, nec non odiſſe voluntas
Omnia, quæ ſecum verſant, ſecumque volutant
Mens, animuſque vagus, ſuſpenſam aut ſiſtere ſeſe,
Actum ſive odii, ſtudii ſeu promere nullum.
Non ſecus ac ſomno quamvis inſomnia ſenſus
Multa putet, rerum & ſecum fallacibus anceps
Ludat imaginibus, non ſe tamen inde voluntas
Aut movet, aut quid agit, ſed deſidioſa quieſcit.
61. Si perſtet ſuſpenſa tamen, quando obvia præbet
Mens objecta olli, dominæ tunc exigit uſum
Libertatis adhuc, nec iners, & deſes hebeſcit.
Quæ verò occurrit menti res obvia, nunquam
Pellere mens valet, amplecti ſed cogitur illam.
Egregii gaudere poteſt hinc ſola voluntas
Muneris arbitrio: potis eſt ſic dicere ſola:
Sic volo, ſic jubeo, mea ſic fert ſumma poteſtas.
62. Vaſto Animæ & regno, ſeu quò ſi cunque licenter
Ire velit, ſolùm ſeſe determinat ipſa,
Judicii nec legis eget: mens porrigit olli
Materiam tantùm, quam circa tendere detur.
Hoc verò iccirco præſtanti munere gaudet,
Nam Deus eſt liber; Deus hinc ſi cuncta creare
Omnipotens poſſet, ſed libertate careret,
Omnia tunc premeret fatorum ferreus ordo.
63. Fluctuat infelix, & nulla pace quieſcit,
Gaudia dum ſequitur, profugos dum quærit honores,
Aut ſitibunda fodit gazas, quodcunque creatum
Aut ſectetur amans. Solus Regnator olympi
Hic tibi finis erit, qui curas, vota, labores
Soletur, ſatiet, ſolvat, ſoluſque quietam
Te citò qui reddat, qui ſe requieſcere fecit,
Non equidem ut Trinus, ſimplex ſed ut emicat unus.

64. Ergo

64. Ergo hominum finis Deus eſt, ac ultima meta;
Quem ſemper meminiſſe homines, quem cernere ſemper;
Dum quid agunt, debent: veluti dum reflua lintro
Æquora nauta legit, defigere cogitur aſtrum
Lumina in Arctoum: tamen inde inferre nequibis,
Quo te cunque actu, & quocunque in tempore cogi,
Aut actu in ſummum, aut mente, aut virtute Tonantem
Tendere; ſufficiat, ſi nunquam ſpreveris illum.
65. At ſi nonnunquam, Deus alme, avertito caſum,
Temnere contingat; ſanctamque refringere legem
Ipſius, auſus eris; non ſemper credere fas eſt,
Et tibi poſtremum finem, metamque ſupremam
Eſſe creaturam: potiùs, præfigere nullum
Talem te finem, rebor. furabere avarus?
Credere fortè licet, furtum te propter habendum
Cuncta operaturum, interfecturumque parentem?
66 Si verum in finem, nempe haud mutabile Numen,
Corda hominum tendant, & ſtant quæ cætera circum,
Ritè exercentur, phyſicè tunc optimus actus
Ille foret, non dignus adhuc, cui præmia leges
Perſolvant juſta: at verò ſi prodeat, alma
Juraque reſpiciat, Legumque edicta faceſſat;
Mercedem referet, morum bonitate niteſcet,
Communes plauſus, Laudeſque merebitur amplas.
67. Illum etiam Empyreo felicia feſta manebunt;
Utque hoc obtineas, ſemper, ne crede, Fidelis,
Te quoſcunque actus actu diſponere ad aſtra,
Atque Deum; urgeri. ſi primum dirigis actu,
Et reliquos virtute regis, tibi ſufficit. ire
Num placet in Latium? ſi poſtquam incœperis, exit
Mente, viam, & cœpti veniunt oblivia callis,
Tunc etiam greſſus humano corripis uſu.
68. Opprobriis verò dignus cenſebitur actus,
Moribus adverſus, nequam, pœniſque luendus;
Si foret oppoſitus legi. actus hoſce ſed ultra
Admiſiſſe, placet, divo præeunte magiſtro,
Actum, qui genere, & numero ſit criminis expers,
Cui quoque deficiat, ſpecies pulcherrima, honeſtas.
De minimis Urbis Prætor non curat, & urget,
Illa ſed arbitrio populorum libera cedit.

69. Sic Deus hæc minima, & nullius ponderis actus
Non jubet, aut prohibet, permittit providus uſum:
Sin homines ruerent nimio ſub pondere fracti.
Hoc opus, hic labor eſt, illos ne certa voluntas
Vertat in inceſtum, turpi vel imagine rerum
Polluat. in melius referat, Cœlo auſpice & omnes
Dirigat obtutus, & Sanctum Numen adoret:
Sic erit ille bonus, quin ſic erit optimus actus.
70. In quo ſed remanet crimen, quod nomine donat
Ipſe habitus? quianum errorum non pœnitet unquam?
Vel Charitis quia fortè caret fulgore ſupremæ?
Ex his nulla ſedet, ſeu me ſententia vertit.
Supplicii in merito remanet, pœnæque reatu.
Sic placitum Scoto. hæc eadem de crimine dicas,
In nos quod prima transfundit origine Adamus,
Eluiturque Sacri pura baptiſmatis unda.

LIBER TERTIUS.

De Incarnatione.

1. AUla ſed interea ſummi reſeratur Olympi,
Aligeroſq; vocat Superumq; hominumq; Creator
Supremum ad ſolium. Totum illinc providus Orbem
Circuit obtutu, & dulci moderamine frænat.
Olli conveniunt, & ubi data copia, adorant
Numina magna Dei, & proni mandata morantur:
Conticuere poli, tempeſtateſque ſonantes
Oceani, ſiluitque ſolum. tunc incipit ipſe.

2. Aligeri, jam tempus adeſt, reparare ruinas,
Quas olim experti longum doluiſtis in ævum,
Atque hominum revocare genus cœleſtibus oris,
Criminaque eluere, ac ſcelere omni abſtergere terras.
Hæc manet haud ullos Superumque, hominumq; labores
Gloria tantarum rerum, vel maxima quamvis
Gratia honeſtet eos, & cuncta chariſmata Noſtri;
Hic labor, hoc opus eſt noſtræ admirabile dextræ.
3. Flaminis & divi, Natique, Meique verendum
Ergo conſilium æternum, & venerabile fatum
Accipite, ò Mentes. tenet incola Nazaret Urbem
Neptis Jeſſiadis, Mariam illam nomine dicunt.
Hac non ulla fuit, nec erit ſervantior æqui.
Deſponſata quidem, mea juſſa ſuprema capeſſens,
Integritatis adhuc, & Virginitatis amorem
Verùm intacta colit, ſponſoque incognita vivit.
4. Hanc pete tu, Gabriel, & Noſtri nuntius eſto.
Non illam ſterilem me velle, & prole carentem,
Sed nato illuſtrem, ſánctaque propágine claram.
Æternùm Genitus, mea Proles, Filius ipſe
Natus erit, dulciſque Satus communis utrique,
Induet ex ipſa humani ſibi corporis artus;
Non virtute viri, omnipotenti at Numine Noſtrum
Concipiat. Sic virgineum ſervabit honorem.
5. Sic placitum. celeri, volat ille, volucrior Euro,
Remigio alarum præceps; ceu flammea Cœlo
Stella cadens, nebulaſque ſecat, flammaque coruſcum
Carpit iter propera. qualis vel plumbea belli
Tormento glans acta ruit, partitur & auras.
Haud aliter Gabriel, juvenis frontemque, coloremque
Os, habitumque gerens, patriis delabitur aſtris,
Nazaret ac parvam concedit præpes in Urbem.
6. Tum Virgo de more manus ad ſidera tendens
Imo è corde preces, demiſſo & languida vultu,
Verba dabat: Mundi, ſuperæ Regnator & arcis,
Quem mare, quem tellus, quem Cœli, & Tartarus horrent:
Virgineo æternam conceptam viſcere Prolem
Venturam excidio Inferni, noſtrumque ſaluti
Sponſus eras? quando finem, Rex magne, labores
Accipient noſtri? an mentem ſententia vertit?

7. Talia

7. Talia verſanti citus Aliger aſtat, & ore
Improviſus habet voces, placidèque profatur:
Virgo, inquit, ſalve cœleſti munere plena,
Sit Dominus tecum, qui terram, Orbeſque profundos
Majeſtate replet, nutuque hæc ſuſtinet uno.
Tu cunctas inter felicior una puellas
Excellis: te matris honos manet, aſtraque ſupra
Reginam divæ gaudent acceſſere Mentes.
8. Turbatur Virgo tantarum ab imagine rerum,
Atque imo, dictis hærens, ea pectore verſat,
Et tandem Aligero, divino numine freta,
Id quì fiet? ait. jam non agnoſco maritum:
Non thalami ſocius, ſed vitæ fidus Joſeph
Eſt comes: ambo Deo olim virginitatis honorem
Sacramus, nec eo fuit, aut eſt purior alter.
Num tellus ſine rore viret, ſine germine gignit?
9. Audi, Virgo, Deus, te cuſtodire pudorem
Virgineum, ipſe jubet; conceſſa aſt præmia nulli
Virginis, & Matris tua ſunt: te virgine proles
Exibit; veluti Solis lux aurea vitrum
Tranſmeat illæſum, ac effuſo lumine complet.
Natus erit Patris æterni immutabile Verbum.
Terra olim viruit, produxitque arbuta, ariſtas,
Fructuſque, & flores, ſed nullo ſemine, & imbre.
10. Eliſabeth cognata tui, ſteriliſque ſenecta
Concipit, at ſolo nutu Rectoris Olympi.
Sola Dei virtus te tanget: pone timorem.
Illa, ſile, ſubdit, quicquid placet Omnipotenti,
Et mihi cuncta lubent: fiant quæcunque dediſti
Verba mihi: dictis ſanctæ plauſere Camœnæ,
Intonuitque Polus lævum, & micat ignibus Æther;
Territus aſt Pluto, totuſque exhorruit Orcus.
11. Quì fieri hæc poſſint, nullumque acceſſerit ipſi
Dedecus inde Deo, paucis effabimur: ergo
Adſis jam feſſo, vires, Sanctiſſime Vates,
Sufficias iterum, tantiſque laboribus aptum
Me facias: tanti primùm hìc evoluere cauſas,
Nunc juvat arcani: juvat hìc ceciniſſe: Tonantis
Primà fuit terque amplus honos, & gloria major,
Nec ſecus humanæ decus admirabile gentis.

12. Scilicet ut ſalvi fierent, quos perderat Adam,
Altera cauſa fuit: licèt hinc haud manderet eſcam
Ille priùs vetitam, ſummi Sapientia Patris
Adveniſſet adhuc humano tegmine amicta.
Tantæ molis erat non congrua cauſa nefaſtum
Crimen Adæ; hoc illam tantos ſubiiſſe labores
Confitear, nec flagra ſatis, nec ſpinea ſerta;
Heu! Crucis una fuit diræ ſatis ultima pœna.
13. Ergo Sacra tumet divino pignore fæta
Alvus; at humanos infans non induit artus,
Oraque paulatim; fiunt ſimul oſſaque, & artus,
Momento creſcunt, momentoque aucta coruſcant.
Exerit ipſa ſuas quando Omnipotentia vires,
Segnia non inibi, tarda, imperfectaque ſurgunt;
Hic labor, hoc opus, hæc tantæ miracula dextræ
Feſtinò exiliunt oculi velociùs ictu.
14. Nectitur hoc Puero tum non effabile Verbum,
Tum vilis natura hominum: Divina creatis,
Non confuſa tamen, miſcentur, & unica fulget
Perſona; ex Animæ, Carniſque ex glutine qualis
Emicat unus homo; illum dulci oracula Jeſus
Nomine compellant; ſimilem nec ſæcula nexum
Priſca tuebantur, nec poſteriora videbunt.
Tantùm homines potuit ſuſtollere Conditor Orbis.
15. Nos nec amat tantùm, nec nos tantùm evehit ille,
Dum juſtos facit, atque ſuæ venerabile munus
Donat amicitiæ, ſeu Cœli ſede Beatos
Nos ſtatuit. Sed tantus adhuc, nexuſque ſupernus
Devincire poteſt tum Bruta animantia, truncos
Tum ſtolidos, lapideſque rudes, tum quæque creata,
Quæ ſe ſubſiſtunt, non ipſas excipe formas,
Materiemque rudem; contingens excipe ſolum.
16. Quam ſibi naturam Verbum copulaverat, illam
Tam Genitor copulare valet, quàm Spiritus Almus;
Sive ſimul, ceu Divina nectuntur eadem;
Seu unus poſt alium; ceu forma abeunte priori
Materies alii unitur: primum dicito tantùm
Si modus, aut fuerit res ſubſiſtentia rerum;
Tunc etenim perſona ſibi quod junxerit una,
Altera non poterit momento nectere eodem.

17. Quas

17. Quas ſibi hypoſtaticè partes ſed amabile Verbum
Uniit? & pellem, & nervos, carnem, oſſa, cruorem;
Iliaque, & venas; ungues adde, adde capillos.
Hoc pacto at nullas, quas integrantia membra
Compellant Phyſici, aſſumpſit, ceu lumina, thorax;
Os, humeri, plantæ, digitique, manuſque, pedeſque;
Quas verò natura, velut quid inutile, pellit,
Ichor uti, & ſudor, nullo ſibi fœdere junxit.
18. Sic ſalvi ut fierent, primus quos perderat Adam,
Alter ab Axe venit, proles æterna Tonantis,
Haſce ſibi aſſumens partes, & vilia membra,
Ut penitus liber, nulliſque adigentibus, Orbe
Mira operaretur. non illum cogere clades
Ingentes hominum valeant, fatale vel Orbis
Ipſius exitium. ſe ſolo cogitur ipſe.
Illum ſolus amor flectit, Clementia ſola.
19. Hinc gratis poterat, vel condonare reatus,
Impare ſeu merito juſtos placare furores,
Flectere & iratas Nemeſim, mentemque, animumque,
Aut ſineere æternùm nigris ardeſcere flammis
Authores ſcelerum, ſectatoreſque ſceleſtos.
Aligerum veluti audentum jam talia pridem
Haud ulli indulſit noxas ex agmine tanto;
Damnatos omnes Erebi detruſit in umbras.
20. Ut verò ſcelerum tantorum exceſſibus amplum
Penderet, & juſtum pretium; tunc condere vili
Veſte ſub humana, vel ſe circumdare amictu
Debuit Aligerum; vel homo, ſive Aliger, ipſa
Magna Dei Genitrix, mirum, quicumque vel alter,
Quantumcumque bonus, vel quantumcumque Beatus,
Dotibus & ſuperis, ſupremoque ordine fulgens,
Hic lethale nequit meritis delere piaclum.
21. Nec tantùm culpis pretium par ſolvit Jeſus,
Aſt etiam meruit Cœleſtia munera Patris.
Accipe, & ex uno meriti jam cætera diſcas
Immenſi. tibi finge plagas exiſtere mille,
Milleque Myriadas hominum tot gignere, fingas;
Millia quot dederint unquam nec ſæcula mille.
Hi, diri quin ipſe doli fabricator Judas,
Servantur Chriſti gutta vel ſanguinis una.

22. Sed cùm infinitum, tanquam monſtroſa Chymæra,
Et mole, & numero, nec non virtute repugnet;
Hinc meritum Chriſti non omni ex parte coruſcat
Infinitum, etiam non ipſo ex ordine morum.
Fine caret ſolùm prout non effabile Verbum
Reſpicit; in reliquis finem pertingere dicas.
Nec dictis obſtant Cœleſtia Dogmata Patrum,
Inconcuſſa Dei quin tota arcana manebunt.
23. Et licèt exæquet noxas, & longiùs illas
Juribus exſuperet, tantumque ſuperſit eidem
Virtute, ut quantum poſſit decernere nemo;
Juſtitiæ non ſervat adhuc, & jura, modumque
Non ſequitur penitus: non hic datur alter, & alter;
Nec fuit ex propriis, eguit Dominique favore;
Atque illud propter veniam indulgere petenti
Cogitur haud Dominus, qui totum temperat Orbem.
24. Quot genere, & numero dotes, decora altaque Jeſus
Ornamenta Animæ? Deus ipſe, & noverit ipſe.
Sidera dinumeres, & arenæ grana recenſe,
Germina plantarum, & fluviorum, atque æquoris undas:
Ingentem hunc numerum Chriſti cum dotibus æquas?
Nec quoque ſi gemines numerum; ceu parvulus amnis,
Quæcumque in reliquis fulgent: ſunt æquora vaſta,
Quæ puerum decorant ſuprema Chariſmata Jeſum.
25. Flumina non aliter, rivi, fonteſque, lacuſque
Oceanumque petunt cuncti, ſorbentur & omnes:
Munera ſic Superum, Cœleſtia pignora, Dona,
Et Decora, & Dotes, ſupremaque præmia, & omnis
Gratia, quæ reliquis inerant, & viderit ætas
Non ulla; hoc æquor Divinum hæc omnia ſorbet.
Quin alia, ac alia, & vix deficientia fine
Ipſum largifluè ter Sancta Chariſmata inundant.
26. Ille nec infecit leviori crimine vitam,
Ullo nec poterat: primæva ab origine mundus
Sorde fuit. Sol haud aliter, quem nullus obumbrat
Defectus levis, ac fulgentiſſimus Indis
Surgit, & occiduis fulgentior occidit oris.
Aurum quale micat, nec labe aſpergitur ulla,
Nec macula; rutilat radiis, & luce coruſcum
Allectat, captatque oculos, & corda videntum.

27. Fin-

27. Fingere ſed liceat, non illum cernere ſummæ
Naturam Triadis; ruere illum in crimina, & omni
Tunc ſceleri, & laxos culpæ concedere frænos,
Poſſe canam; veluti, ſi fortè receſſerit Orbe
Delius ætherio, quamvis robuſtior, errans
Fallit homo greſſus, improviſo ac impete fertur
Crebriùs in terram. non hoc exhorreat auris,
Quæ fuerit docta, & ſacrarum conſcia rerum.
28. Alternè in Chriſto Naturæ idiomata præbent;
Sic, quæ ſunt hominis, ſancto de Numine dicam;
Et ritè attribues homini decora alta Tonantis.
Immortale mori canimus, primordia rerum
Accipere Æternum, Verbumque ſileſcere cunis;
Aſſerimuſque hominem Cœloque, Ereboque potentem,
Terrarum Dominum, formidatumque Profundo.
Dicimus ac illum, dictu mirabile! Numen.
29. Hinc jurare Dei per membra, ſacrumque Cruorem
Si lubeat, quamvis non ſit laudabile, porrò
Non blaſphæmus eris: vel ſi tibi dicere, Chriſtum
Eſſe creaturam, ac incœpiſſe, placeret,
Te ſocium hæreſeos, vel tamquam vana loquentem,
Sive novatorem, nec pridem audita profantem
Nemo redargueret, Nemeſi dum judicet æqua.
Attamen hìc meliùs lubricam compeſcito linguam.
30. Membra per, & partes quin adjurabis honeſtas
Ipſius; hinc liceat, me judice, dicere quemquam,
Per vitam, ſcapulas, pectus, dextramque potentem,
Perque manus, perque ora, pedes, per lumina, frontem,
Per caput egregium Chriſti. ſic magnus Julus
Æneæ magni natus juraverat olim,
Nec ſe deſpiciens, ſed Patrem ritè ſequutus:
Per caput hoc juro, per quod Pater antè ſolebat.

De Virtutibus.

31. TEribilis viſu ſpecies, ac horrida forma;
Ecce extrema tenet Vitium, ſequiturq; protervum
Aut abiecta, aut alta nimis. non inſcia virtus
Hæc fugit; ignis aquas velut aufugit, undaque flammas,
Et fugiunt tenebræ lucem, nubeſque ſerenum.
Statque immota loco, medioque immobilis hæret;
Hinc virtutis iter placeat ſi carpere pulchrum,
Crede mihi, medio ſolùm tutiſſimus ibis.
32. Inter utrumque ergo mediam tenet ardua ſedem,
Seu moralis erit, ſeu ſit Theologica virtus;
Cum regat aſt illam ratio, & prudentia ſola;
Hinc erit ipſius ſubjectum aut ſola voluntas,
Aut Intellectus ſolus: tam nobile munus
Senſus obire nequit, ſenſuque expertia membra:
Hinc fore virtutis medium ne dicito rerum,
Sed rationis erit; vel idem Themis exigit ipſa.
33. Virtutum ſeriem cantare, & pangere muſa,
Quot fuerint; nimiùm res ardua, ineptaque metro;
Dicere ſufficiat, quæ duro à Cardine nomen
Dulce trahunt, Animam vario diſtinguere cultu.
Non tamen, innatis illas fore dotibus inter
Virtutes ſuperas, credas. Supero ordine fulgent,
Cum Fidei, Spei, Charitiſque juvamine ſupra
Naturam, doteſque ſuas contendere pergunt.
34. Una nec eſt alijs ſic vincta ligamine, cunctæ
Ordine ut heroo coeant, & nulla viciſſim
Eſſe queat, reliquæ niſi ſint, unàque coruſcent.
Alter erit bello vel præſtantiſſimus Heros,
Vel Legum cuſtos, & ſervantiſſimus æqui.
Aſt Veneris languet telo confoſſus inerti.
Virginitate alias ſupereminet iſta puellas,
Aſpera nec patitur, nec dura invadit, & audet.

35. Fortè

35. Fortè Theologicæ ſeſe comitantur, & unà
Omnes eſſe decet, nec ſe divellere ab illa
Hæc valet? alma Fides potis eſt exiſtere ſola.
Spes verò interdum ſine matre piiſſima amoris
Incedit, Fidei ſemper ſtipata ſed actu.
Tertia procedit, veluti Regina, venuſto
Virtutum comitata choro: non ire videbis
Illam unquam, tota nec ei famulante caterva.
36. Rex ita Virtutum juſſit, cui ſingula parent;
Non quòd ita ingenito petat illa ex ordine rerum
Id decus, has dotes. & cauſa, & tempore primùm
Fulgurat ipſa Fides. hac excedentia mentem
Noſtrum, ac Aligerum capimus, celataque Sæclis
Quæque arcana Deo libeat reſerare futuris,
Terris ſeu latitent, Cœli ſeu limina claudant,
Sive Deum referant, Dextræ ſeu facta potentis.
37. Novimus hæc tanta, & certa ſic noſcere lege
Donat, ut haud oculis ita certò cernere detur.
Credere & hinc dabitur nunquam, quæ dicere Numen
Non potuit, quamvis illa ac à Numine dicta
Prodere contingat. Divino falſa ſubeſſe
Grande nefas Verbo. Cœlum ruet, aſtraque, & Orbis,
Immortale genus Superum, quàm dicere vana
Verba Deum, ſeu falſa loqui admirabile Verbum.
38. Novimus iſta quidem fidei auxiliaribus auris;
Illa ſed obſcuro ſic noſcere lumine fas eſt,
Nocte velut, ſpiſſiſque vides objecta tenebris.
Si tibi clara forent vox ipſa, & verba loquentis
Numinis, ut vocis ſonitum bibere aure daretur,
Tunc actum Fidei ex illo depromere verbo
Haud licet. exoritur clariſſima notio rerum,
Detrectare valet quam nemo protervus, & audax.
39. Fortè Deum claré, vel cætera myſtica noſcis?
Credere adhuc poſſes, alia aſt indagine mentis,
Vique alia illectus. ſic credo exiſtere primam
Terrarum cauſam, quia ſe ſe prima revelat
Cauſa; illam claré noſco, clariſſima namque
Argumenta adigunt, quæ Cœlum, ſidera, tellus
Atque alia inſinuant: aſt non clareſceret inde
Sancta Fides, ſed adhuc velo contecta lateret.

40. Ipſius

40. Ipſius verax, & quæ ſit regula certá;
Scrutari ſi fortè lubet; nec munere tanto
Quiſque hominum potitur, nec Epiſcopus ille, vel alter;
Unius aut Regni plures, nec Biblia Sacra
Sacratis diviſa libris; Eccleſia ſolá,
Imperio quam Papa regit, moderatur, & auget,
(Hæreſis ora premat, nec juſſa ſilentia rumpat)
Unica ſit Fidei, ſit certa, & regula verax.
41. Inſidet ipſa Fides menti, mentemque ſuperno
Lumine colluſtrat: ſic illuſtrata ſupremum,
Et verum obſcurum certo molimine tangit
Mens, aliàs ſolùm certò cognoſcere nata,
Obvia procedunt ipſi quæ lumine clara;
Religioſa tamen debet præiiſſe voluntas,
Affectuſque pius: tunc hoc urgente recedunt
Oppoſita, aggrediturque opus, & mens obvia credit.
42. Sed te noſtra canant, te jam modulamina pangant,
Spes alma, afflicti ſolans fiducia cordis.
Salve, Spes, ſalve, miſeræ cynoſura carinæ,
Stellaque collucens obſcuro marmore vitæ.
Te præeunte homines infirmo corpore creti
Ardua facta audent, & dura pericula tentant;
Dæmonis inſidias, fallacis gaudia mundi,
Et ſuperant ſenſus oblectamenta rebellis.
43. Promimus hac geminos actus: cœleſtia tecta,
Et ſuperas Charites, Triademque videre ſupremam
Optamus primo; hiſce frui conceſſerit alter.
Notior ille magis, perfectior eminet iſte.
Ipſa erit in Patria, divæ non nomine Spei,
Aſt alio; decorat pariter, quos continet arctus,
Qui purgante trahit nomen ſibi, carcer, ab igne.
Illos nulla manet, quos torquet Tartarus ingens.
44. Ardua ſperamus, noſtrum excedentia vires,
Et potiunda Dei cœleſti munere tantùm.
Hinc tibi ſi tanta, & præſtantia munera Numen
Non daret omnipotens, tum nec ſperare valeres,
Et ritè, & rectè tum deſperare liceret:
Antichriſtus adhuc tamen, & ſperare ſalutem,
Eſt potis, indubiiſque agitur ſpem promere juſſis.
Gratia non deerit, deerit ſed Gratiæ iniquus.

45. Non

45. Non bis, non quater, aut decies, ſed ſæpe per annum
Præceptis agimur, ſanctum ſpei tendere in actum.
Nauta per incerti currit dum Cærula ponti,
Sæpe cupit Patriam, patrias reminiſcitur Ædes,
Crebriùs & Patriam tum corde, & voce ſalutat.
Tantus amor Patriæ, tam dulce videre Penates,
Maternumque ſolum. refluo vitæ æquore forſan,
Rariùs ætheriæ Patriæ meminiſſe licebit?
46. Dona Dei excellit, virtutes anteit omnes
Dia Charis, ſancti genitrix dulciſſima amoris,
Pignus amicitiæ, qua ſe ſe jungere mavult
Ipſe Deus nobis, rerum cui ſumma poteſtas.
Omnes ipſa ardet, quotquot contendere poſſunt
Extremum in finem, noſtrumque vocare ſolemus
Proximum; inhumanus quamvis ſit, acerbus & hoſtis.
Sit Trax, ſit Maurus, Geta ſit, Garamaſque, ſit Indus.
47. Ardet eos; tantùm ſed ad hunc perfectio amorem,
Et bonitas divina movet: non pertrahit illam
Ulla creaturæ, licèt electiſſima virtus,
Aut hominum, aut Superum, vel qui ſupereminet alter;
Dumque creaturas ſectatur amore, Tonantis
Numine ducta facit, rapiturque ab amore Tonantis.
Non ſecus ac ferrum trahitur magnete propinqua;
Aut trahitur gelida magnetica cuſpis ab Urſa.
48. Diligit ipſa priùs Trinum, & venerabile Numen;
Diligit, & ſtudiis, votiſque ingentibus ardet,
Ut membra, ut vitam, ut gazas, ut cætera temnat,
Jacturam ſubeat magni ne Numinis unquam.
Vidimus imbelles pueros, juveneſque, ſeneſque,
Virgineoſque Choros, Primorumque Agmina lecta,
Innumeroſque alios divino ardore calentes
Pœnas ferre acres, obituque perire cruento.
49. Diligit inde alios; & primò quiſque ſeipſum,
Dein reliquos: unquam fas eſt odiſſe nec illos;
Jure nec aſt ullo teneor profundere vitam,
Vitam alii ut teneant: nec certa ſubire pericla
Compellor mortis, ne tu cœleſtia perdas.
Audeat hinc dirus ſi quis, me invadere ferro,
Me ſinere, occidi, teneor num legibus ullis,
Ne miſer occumbens ſtygium petat ille Barathrum?

50. Omnia

50. Omnia jura ſinunt, vim vi depellere quemquam:
Hoc natura docet pueros, teneraſque puellas,
Indocileſque feras, & morum neſcia Bruta.
Pro Caris equidem, fas eſt, effundere vitam;
Hinc præbere licet tabulam per cærula nanti,
Ne merſus cadat in fluctus; licèt inde ſub æquor
Ipſe ruas. pariter licitè per tela, per hoſtes
Quis petit Eoos Sacra loturus in unda.

LIBER QUARTUS.

De Sacramentis in Communi, & in particulari.

1. QUi Deus eſt, & homo, ſummique Propago Parentis,
Virginis & ſoboles, hic myſtica ſymbola ſolus
Inſtituit: non alter habet, vel habere nequibit
Ritè facultatem: quamvis decernere ſignum
Fortè queat, cui jure Deus vincire ſupernam;
Virtutem valeat. numeri ſeptemplicis orbe
Clauduntur: numero nec plura, minora vel eſſe,
Edocet alma Fides, Patrum documenta ſuadent.
2. Sunt ſigna ad placitum, ſunt ſenſibus obvia ſigna
Sacramenta novæ Legis. non pervia ſenſu
Signa homini ſtatui nequeunt, ſi ſenſibus uti
Debet homo, rerum ſpecies dum captat, & haurit:
Signane tu ſolùm, ſola vel imagine rerum,
Hæc fore ſigna putas? ſi neſcis, falleris ipſe.
Practica ſunt ſigna, & gignunt, quæ nomine ſignant:
Priſcæ Legis erant ſolo tum nomine ſigna.

3. Omne

3. Omne Sacramentum confert venerabile donum,
Quo proles datur eſſe Dei, cœlique beati
Reddimur hæredes; pariter dat habere ſupernum
Auxilium, in fixum liceat quo tendere finem.
Inſuper, ex Anima ſignum indelebile, donant
Terna caracterem; Baptiſmus ſcilicet, Ordo,
Et Chriſma. hoc Genitor voluit ſecernere prolem,
Belligeros Dux ipſe ſuos, Rex ipſe miniſtros.
4. Hæc iterare nequis: quin, ſi conferre placeret
Rurſus, nil perages, nec ſacramenta miniſtras.
Sacrilega, tamen ipſe ſcias, fore labe reatus
Te maculaturum. bis, terque, iterumque, iterumque
Cætera, ſi lubeat, celebres. connubia ſumas
Plura quidem, ſed conſortis poſt funera cari,
Extremumque Oleum lapſo diſcrimine primo.
Sin ſecus, haud ſumes, irritabiſque Tonantem.
5. Forma ſolœciſmo peccans, refractaque hiatu,
Aut tranſpoſta notis, blæſo truncata vel ore;
Inſolitiſque, aliiſque modis, maculiſque laborans,
Integra ſi maneant juſſu ſtabilita ſuperno
Senſa tamen, ſola nec mente, ſtyloque, ſed ore
Editur; ipſa juvat, mox emolumentaque, & omnes
Non Incunctanter habet, quos debet gignere fructus.
Hic quandoque tamen grandi te crimine turpas.
6. Et juvat Hebræo quamvis, Italoque, vel Afro,
Quo ſeu cumque alio prolata idiomate fiat.
Eſt tamen illicitum variare idiomata formæ,
Quæ te jura jubent; leges hic Orbis, & Urbis,
Degis ubi, ſerves, fueris ſic criminis inſons.
Sacramenta, ultra formam, conflantur & alma
Materie rigido decreta numine Chriſti;
Ipſa proinde unquam non eſt variabilis ulli.
7. Ritè poteſt eadem ſolus conferre viator,
Mente vigens, animoque potens, fueritque Sacerdos:
Papa nec ipſe valet, ſanctam hanc reſcindere legem.
Excipe conjugium, illius fore namque miniſtros
Scimus eos, thalami qui caſta ligamina nectunt.
Et myſtam ſolo defungi munere teſtis.
Excipe Baptiſmum, puero diſcrimina vitæ
Si gravia immineant, nec præſto præsbiter adſit.

8. Tunc

8. Tunc alii ſed enim, ſervato aſt ordine, poſſunt
Ordine fulgentes; & deficientibus iſtis
Fœmina, vir, puer, impubes, juveneſque, ſeneſque,
Chriſticola, aut Chriſtum renuens, Idolaque cultu
Sectans; Sit Garamas, Maurus ſit, Turca, vel Indus,
Hæreſis aut Fautor, poſſunt luſtralibus undis
Abluere infantes; & Sanctam reddere Prolem,
Hæredeſque Dei, ipſiuſque accerſere natos.
9. Hæc equidem credas, dubia nec mente teneto;
Si celebrare tamen, qui ſacramenta miniſtrat,
Intendat, quæ ſancta facit, ſeu Eccleſia ſervat,
Chriſticolæ aut peragunt; fieri vel juſſerat author
Tantarum rerum, dulciſque inventor Jeſus.
Hoc ſine nil facies, nec ſymbola ſacra miniſtras;
Rem nudam peragis ſolùm, & ſine numine factum;
Quidquid agunt homines, intentio judicat omne.
10. Hinc tibi ſi fuerit prava, aut ludrica voluntas,
Myſtica dum celebras, peccas; myſteria ſancta
Sed confers, tum caſu id agas, ſeu munere præſtes.
Sacramenta creant phyſicè cœleſtia dona,
Vel miro Chriſti imperio, nutuque potenti?
Docta tui arriſere mihi theoremata, Dunſi:
Ipſe Deus phyſicè divina chariſmata ſolus
Procreat, & ſolus phyſicè dat amabile donum.
11. Elvat ut culpam, quam primi ab origine Patris
Traximus, & reliquas, quas fortè admiſimus antè,
Sacratum ſtatuit fontem, primùmque Redemptor
Suſcepiſſe jubet. ſtat pro ratione voluntas.
Tunc verò inſtituit, victa dum morte reſurgens
Auras ad vitæ caros ita fatur alumnos:
Ite, ite, & Gentes, quà Phæbus utrumque recurrens
Oceanum illuſtrat, liquidis aſpergite lymphis.
12. Baptizate illas, & aquis immergite puris.
Tingite aquis: non quas è floribus exprimit ignis,
Torcular aut herbis verſatile prolicit arte,
Tempeſtate nova lachrymas aut vinea fundit.
Non cruor, aut ſputum, non ſudor, lachryma, rheuma
Non ros, non gluten, bilis, pituita, vel ichor,
Non reliqui humores, claudunt quos corpora venis,
Materiem tribuent undis luſtralibus aptam.

13. Offer-

13. Offerrent aptam glacies, nix, flumen, & imber,
Et lacus, & torrens, & ſtagna ſilentia, & acres
Sulphurei fontes, tum ſervida Balnea, & Æther.
Sint rigidæ, aut calidæ, glauco, flavoque colore,
Aut alio lymphæ niteant; hoc ſufficit, illas
Si dederit natura parens, vel conditor Orbis.
Hæc aqua, ſi dubitas, num ſit; non audeat ullus
Abluere, infanti ſi mors non ocyor inſtet.
14. Baptizate illas noſtro non nomine tantùm,
Ni ſecus ipſe meus Genitor præceperit: ergo
Baptizate Patris, Natique in Nomine, Sancti
Atque Paracleti. Triade olim exiſtis ab alvo,
Sic quoque inacceſſæ Triadis virtute renaſci
Vos, decet; hæc nulli ſit fas evertere jura;
Nec tibi, Petre, licet: quamvis recludere Cœlum,
Cunctaque ſolvendi data ſit tibi certa poteſtas.
15. Tu ritus, legeſque dabis, moreſque, modumque
Baptiſmo impones, & cætera ritè docebis,
Ut tibi, tantarum poſt longa examina rerum,
Suggeret & pietas, ratioque ſuaſerit. unda
Dum populos tinges: caput ablue, pectora, dorſum,
Aut ventrem, parteſque alias, quæ corpore primum
Munus habent; reliquas caveas aſpergere cautus,
Ni puero intentent dubiam diſcrimina mortem.
16. Hoſce omnes mundare volo baptiſmate, & illum,
Illum etiam infantem, claudunt quem viſcera matris,
Si vigili tamen arte vales, contingere lympha:
Qui culpa inficitur, ſacro indiget ipſe lavacro,
Dumque alius lavitur, non ipſe lavere, ſed alter;
Infeciſſe nequit plures grave crimen Adami,
Quàm ſanare meo poſſim medicamine: culpa
Ergo qui languent illius, & ablue fonte.
17. Qui ratione viget, quicumque ſit ille, Miniſter
Eſſe poteſt; aſt unus erit. ſi corpora tinges,
Idem verba edes; aliter ſi feceris audax,
Nil feciſſe putes; mea ſic fert ſumma voluntas.
Si plures tamen aſpergant, unàque profentur
Verba omnes: equidem noſtrum baptiſma miniſtrant.
Hoc prohibete tamen, baptiſmum & præbeat unus.
Baptiſma eſt unum, Deus unus, & abluat unus.

18. Ioan-

18. Joannes populos puras Jordanis ad undas
Baptizabat aquis, & lavit flumine corpus.
Aſt animas ſcelere infectas, & crimine fœdas
Non lavit: ſcelerum turpes detergere ſordes,
Solus ego valeo, potis eſt mea dextera ſola.
Fons meus, unda meæ lymphæ, noſtrumque lavacrum
Abluet infandas ſordes, maculaſque pudendas,
Voſque excelſa manet tantarum gratia rerum.
19. Corpora frigeſcent, divino at Numine flammas
Concipient Animæ; lymphis homo proluet artus,
Intus aget Deus, atque animam Cœleſtibus aptam,
Progeniemque ſui, & caram ſibi reddet amicam;
Virtuteſque dabit, divina Chariſmata, dono
Largifluo; hinc vita ſi tunc decedere juſſus
Sis, felix nimiùm, purgantes tangere pœnas
Haud tibi opus fuerit, recto ibis tramite in aſtra.
20. Baptiſmo fictus ſi fortè acceſſeris, hoſce
Haud capies fructus; ſolùm indelebile ſignum
Suſcipies; hujuſce dein virtute reſarcit
Damna ſacramentum, emolumentaque priſtina gignit,
Si facti pigeat; ſi fictio vana recedat.
Vt ſubitò eripiunt nubes Cælumque, diemque;
Sed lux alma venit, Cælumque, diemque repente
Apparere vides, fugiunt & ab aere nubes.
21. Si tibi deficiat ſacri baptiſmatis unda,
Eſſe potes ſalvus? qua ſpe? quo numine fretus?
Seu quibus auxiliis? ardens tunc elice votum:
Nempe Sacramentum optes, ingentique dolore
Commiſſum execrere nefas, & amore Tonantem
Corripiare, tuum inque Deum ſpem concipe firmam;
Nec non crede Deo: tibi ſic labor iſte juvabit,
Supplebitque vices baptiſmi, & ſidera pandet.
22. Si quoque Martyrium ſubeas, fundaſque cruorem,
Ut tueare fidem, vel te ſine crimine ſerves,
Atque ſalutifera nequeas immergier unda,
Tum quoque ſalvus eris, dabitur pro munere Cœlum.
Qui me luce palam, coramque fatebitur Orbe,
Illum ego ſupremo coram genitore fatebor,
Ipſiuſque fidem, ac celſos cantabo triumphos
Cœlicolas inter. mea verba æterna manebunt.

23. Vix

23. Vix Jeſus ea fatus erat, multamque ſalutem
Dixerat; ecce abiens, liquidas ceu fulgur in auras,
Aufugit, humanos viſus, ſenſuſque relinquens.
Illi autem varias longè, latèque per oras
Diſcurrere, Ducis laudes, atque inclyta facta
Liberiùs tollunt, celebrant nomenque, decuſque,
Et vox illorum, Eoum quà circuit æquor,
Occiduumque furit pelagus quà fluctibus, exit.
24. Chriſticolæ, at video profugos vos gurgite vaſto,
Errantes undis, & tempeſtatibus actos;
Urgeri fidei nimirum ſentio diris
Vos dubiis. erit ergo Deus tum Trinus, & unus?
Induet humanos artus, obituque cruento
Ipſe cadet? defunctus homo, gelidumque cadaver,
Et ſparſi cineres, combuſtaque corporis oſſa
Jucundas venient iterum ſub Luminis auras?
25. Durate impavidi, & voſmet ſervate pudicos;
Quos etenim teneros genuit baptiſmate natos,
Munit eos ſacro miſerans mox Chriſmate Jeſus,
Inque fide reddit ſtabiles. in prælia ituros
Athletas oleo quondam illevere priores.
Chriſtiadum ductor Chriſtus ſic unguine ſacro
Juſſerat inſpergi caros in fronte fideles,
Promptiùs ut fidei ſubeant certamina adulti.
26. Balſama odora dabunt, & oliva immixta remotam
Materiem: proprior foret ipſa perunctio frontis,
Pollice facta, Crucis referens venerabile ſignum.
Aſt formam dices in vota vocantia verba
Auguſtam Triadem, nec non ſignantia Ephebi
Frontem. Præſul erit, noſti, de more Miniſter.
Si Præſul deerit, poterit tractare ſacerdos
Dulce Miniſterium, Papæ ſed Jure ſupremo.
27. Nullius at juſſis, & nulla lege ſacrare,
Chriſmata myſta poteſt: hæc grandia munera Chriſtus
Præſulis eſſe jubet, quem Vitta, ac Inſula honeſtant.
Fœmina, ſive ſenex, & quamtumcumque tenellus
Sis ipſe, & pura tinctus baptiſmatis unda,
Hoc Sacramento muniri rite valebis,
Seu jejunus eris, vino aut repletus, & eſca,
Seu mane, aut ſero, quocumque aut menſe, vel anno.

28. Sume tamen ſeptem poſtquam compleveris annos,
Dumque animo, & ratione vales; ſic ſymbola ſacra
Cæleſtes parient cumulo magis ubere fructus.
Nullo jure quidem, nulla vel lege teneris
Chriſmate ſignari fidei; niſi perfidus hoſtis
Urgeat, ut quondam, & truculenta cæde fideles
Sæviat in gentes; ſive in te Dæmon avernis
Æſtubus impellat, fidei ut documenta relinquas.
29. Chriſmate munitam, & Fidei ſic robore adultam
Progeniem nutrit cæleſti fruge Redemptor.
Hebræis pluerat ſuperas errantibus eſcas:
Et puer Iſaac ſteterat, velut hoſtia, ad aras,
Non mactanda tamen: mundo tum veſcier agno
Juſſum ac innocuo. ſacræ ceſſere figuræ,
Umbraque præteriit: venit lux, claruit Orbem
Lex nova: ſtat vini, & farris ſub imagine Chriſtus.
30. Dive, mihi finem, cauſaſque, Seraphice Vates,
Arcanas memora: quo numine ducta Propago
Numinis, & Mariæ proles ſe cortice panis,
Atque ſuis dederit vini ſub vellere tectam
Diſcipulis. tanton' potuit ſuccumbere amori?
Ardes ipſe Deum, velut arſerit ipſe Seraphim.
Jamque fave, ſacriſque pius conatibus adſis,
Ut ſuperæ monumenta canam ſublimia flammæ.
31. Ex gregibus quondam, aut avibus, teneroque juvenco
Gens Hebræa ſacrum ter ſummo offerre Tonanti
Sueverat. Indignans Chriſtus ſub vilibus hiſce
Muneribus, doniſque pias cumularier aras,
Reiicit hæc, ſeque ipſe litat, cadit hoſtia & ipſe:
Victima cæſa cadit, celebrat qui ſacra ſacerdos.
Victima cæſa cadit, ſed nullo aſperſa cruore,
Sanguineam quamvis referens ſub imagine mortem.
32. Ergo capit læva cererem, laticemque lyæum,
Et Cælo attollens oculos, dextramque potentem,
Corpus, ait, ſanguiſque meus velata ſub iſtis
Inſunt muneribus: vos nunc ea ſumite læti,
Æternùm hæc veſtros maneat quoque cura nepotes.
Hoc facinus laudate pii, memoretur in ævum,
Et tanti nunquam ſubeant oblivia amoris:
Sed celebrate diem noſtræ in præconia laudis.

33. Ex

33. Ex illo celebratus honor, feſtumque minores
Servavere ſacrum: libant & pocula Patri,
Triticeaſque dapes; unà ſacramus utrumque,
Atque litare aliter nunquam permittitur ulli.
Juſſerat hoc Chriſtus; nec, qui gerit illius amplas
Papa vices, poterit rigidam vel tollere legem,
Frangere ſive unquam. ſtant fixa adamantina jura
Sanguine, quem fudit tam largo aſpergine Jeſus.
34. Veſpere ſed quamquam calicem devovit, & eſcas
Innocuas, Chriſtus, nec templo, araque, ſed aula;
Attamen auguſtum fas eſt abſolvere Sacrum
Tunc ſolùm, Cælo primùm cùm Lucifer alto
Evocat auroram, dumque uſque aſcenderit axem
Sol medium: ſolùmque aris, ſanctaſque ſub ædes,
Ullos nec potus, ullam nec ſumpſeris eſcam.
Hoc ſua Sponſa Dei ſtatuit myſteria cultu.
35. Præcipuus finis ſancti libaminis unus
Sit tibi cultus, honor, laus & Divina Tonantis,
Non auri ſtudium, vel inanis copia rerum:
Hæreſeos ſiquidem tum te ſimonia labe
Inficeret: celebres equidem pro vilibus iſtis,
Sed priùs obtutus mens pura evibret in aſtra:
Aſt caveas, unquam ne plura ſtipendia ſumas,
Et peragas Sacrum ſponſis pro pluribus unum.
36. Sacraſti, tamen ignorans, ſine ſanguine corpus;
Exanimiſque alter ſacrato corpore myſta
Occidit; aut idem ſacras ſine fruge Lyæum?
Ambas tum ſpecies debes offerre, vel unam?
Vel potes, aut unam, ut lubeat, ſacrare vel ambas?
Perficias libum, & partem, quæ deficit, offer.
Picturam veluti ſi vis abſolvere mancam,
Exprimis haud aliam: addis deficientia membra.
37. Unum quoque die, non plura piacula libes;
Plura tamen poteris, ſed numquam plura litare,
Jura jubent, nec tunc cum Terris naſcitur infans
Jeſus humanæ veſtitus imagine formæ.
Sacratos quandoque tamen celebrare miniſtros,
Lex Divina jubet: cum nempe inſignia feſta
Annua luceſcunt; Parochos, quin, ſæpiùs aris,
Sit nulli dubium, cogi almum imponere honorem.

38. Azima Romani, ſed fermentata Pelaſgi
Liba litare ſolent; celebrant mage ritè Latini:
Alteri at alterius ritu ſacra ferre Tonanti
Permiſſum nunquam, Grajus licèt hoſpes in oras
Tenderet auſonias, Latius vel pergeret Argos;
Ni ſedem ponat; nam tum illa capeſſito juſſa:
Si fueris Romæ, romanos imbue ritus,
Dumque alibi degas, illorum vivito more.
39. Triticeo celebrare vales ſolummodo pane;
Non elixus aquis, nec ſit ſartagine frixus,
Sub cinere at coctus, vel ſit fornacibus aſſus;
Sitque ſubactus aqua, quam dat natura creatrix.
(De tamen æquorea mens in contraria fertur)
Nec quam, vel ſucci herbarum, vel palpebra lugens,
Lætaque dat vitis, vel olentia germina, flores
Præbebunt, opifex nec quam mira efficit arte.
40. Aſt vinum de vite ſacres, quod ruſticus uva
Matura, pedibus, vel dextra expreſſerit antè,
Sive aliter; ſed aquæ modicum perfunde liquorem,
Ut libare queas cuſtodito ordine legum;
Sextaque pars fuerit, vel, ſi vis, annuo quintam.
(Nonnulli obſtabunt) dubiam decernito quartam,
Tertia ſit nunquam, nec enim, te jura Tonantis
Lædere, tunc dubium, ſi fas eſt credere legi.
41. Et potes, & licet, aut rubrum ſacrare, vel album
Vinum, ſi lubeat; ſi verò frigore preſſum,
Concretumque gelu, aut muſtum, te crimine damnant;
Ni vinum deſit, viſque ingens Sacra litare
Te cogat; numquam ſed fas abſolvere ſacrum,
Si lympha careas, careas vel tegmine ſacro,
Araque defuerit Divo non unguine tincta,
Fumidaque haud rutilet ſuccenſo lumine tæda.
42. Lympha ſit ipſa priùs vinum, vel fortè cruorem
Vertitur in Sacrum nullo mediante? vacillat
Mens, animumque huc nunc celerem, nunc dividit illuc
Anceps. haud aliter Leporis veſtigia nare
Obſervata legens, bivium ſi tangit odorus
Fortè canis, quod carpat iter, quò tendere pendet:
At mea mens aude, theoremaque nobile tradas,
Quod plures tenuiſſe ferunt, ſcis ipſa, Recentes.

43. Vt

43. Ut verò rectè celebret venerabile Sacrum,
Expromat rata verba pius de more Sacerdos;
Si qua tamen ſileat, ſacrat; lethale ſed auſum
Molitur, meritaſque luet pro crimine pœnas.
Hæc eadem canimus, ſi mutet, ſive recidat
Verba, vel auſonio, patriove idiomate ſacret;
Quin quandoque foret dubium libamen in hiſce
Caſibus, aut nullum, prout immutatio fiat.
44. Aſt hic dum placido pia verba immurmurat ore,
Magno operi intentus: ſummo cerne æthere lapſum
Aligerum cœtum, Aligerum, Cœlique Satorem,
Æternam Sobolem, non enarrabile Verbum,
Chriſtum, ſeque meri impatiens, cereriſque figuris
Inſinuat, parvoque latet concluſus in Orbe,
Aera qui, pontum, terras, Cœlumque profundum;
Ingentiſque Chaos Vacui qui Numine complet.
45. Venit ubi Princeps veluti, citò quiſquis ab aula
Aufugit, ac uni cedit penetralia Regi.
Sic, ubi ſe Chriſtus ſpecies compleverit ambas,
Ipſa ceres, ipſumque merum, ſubſtantia tota,
Formaque, materies abeunt, redeuntque vetuſtum
In nihilum. ſed quæ vel ſunt obnoxia viſu,
Pervia ſeu tactu, aut reliquos patientia ſenſus,
Ponderibus librata ſuis velut aere pendent.
46. Illa etenim nutu, phyſicè non fulcit Jeſus.
Se illis haud vinclo, nulloque ligamine jungit.
Non ſecus ac, magnus quamvis, Rex nutibus amplum
Suſtinet imperium, ac Regnum moderamine firmat.
Una ſede ſimul, ſpatioque moratur eodem,
Ac ſpecies, ſemperque ipſas comitatur euntes.
Non equidem motus myſta, ſed motibus ipſe
Se ciet, innatoque locum molimine tendit.
47. In nihilum rectè canimus cereremque, lyæumque
Elabi: ſed adhuc Patrum theoremata mandant
Credere, converti in Chriſti venerabile corpus,
Sanguineum & Laticem. verùm hic ne crede, coruſcas
Linquere Cœlorum ſedes, fœlicia Regna,
Sub ſpecies dum Chriſtus iit: verſatur ibidem
Cœlituum exhilarans turmas, & lumine replens.
Huc venit, haud ſpatium tangens, paſturus alumnos:

48. Ergo venit Chriſtus, ſpecies & Numine complet.
Siſtit & his, donec ſtaret ſubſtantia rerum.
Decidat in putres quamvis pia victima ſordes,
Aut veſcatur ea Brutum, perſiſtit ibidem
In toto totus, partes atque occupat omnes
Totus, & in partes ſpecies ſi frangitur unquam,
Frangitur haud Chriſti corpus; (mirabile dictu!)
Nec cruor in plures abit ipſe aſpergine guttas.
49. Sacras hinc ſpecies, venerabile Sacramentum
Templo, corde, animo, lachrymis, prece, poplite flexo,
Voto, hymnis, & Thure coles, cultuque Latriæ.
Hæc tum præſertim decet edere debita ſigna,
Dum ſumes; tum corde pio, tum pectore toto
Vellere ſub vini, & panis venerabere Numen.
Præcipuo Regem ſic tum veneramur honore,
Ad noſtros ſi fortè lares acceſſerit unquam.
50. Sacramentum equidem mihi ſancta Chariſmata donat
Hiſce ſine indiciis cultus, ſi veſte coruſcans
Ipſe tamen Charitis, fidei ſi lumine noſcens
Accedo, accipioque lubens; & cætera quamvis
Defuerint: aſt tum exigua me labe notarem.
Si verò ipſe levi fædatus crimine ſumam;
Nil erro, nullaque meum cor inquino culpa,
Quin omnis citò culpa fugit, ceu fumus in auras.
51. Infelix homo! quæ te dura pericula vitæ
Æquore certa manent! haud ſat, proviſus opima
Sis dape, & ætheria, ut fauſto mare findere curſu
Fas fuerit: plures inſanis fluctibus acti
Sorbentur pelago, pauciſque emergere ſalvos
Vix datur; & pereunt hominum lectiſſima turba;
Et quos fortè putas, portum ſubiiſſe ſalutis
Virtute inſignes, dubiis merguntur ab undis.
52. Sint Superis grates, miſeris maris arbiter almus,
Omnipotens Jeſus tabulam dedit ecce ſalubrem;
Nempe ſacramentum ſtatuit, quo emergere ab omni
Eſt mihi fas culpa, & ſcelerum de gurgite cæco
Hoc exire datur: quin, quæ jactatus ab undis
Naufragio amiſi, Charitemque, Deumque, Animamque
Manſuras & opes, immenſique atria Olympi
Illo iterum reparo, priſcumque inſtauro decorem.

53. Sacra-

53. Sacramento igitur, mæſto quod nomine donat
Nunc Metanœa dolens, ſcelera omnia rite piantur,
In quæ turpè ruet luſtrali ſonte renatus;
Plurima ſint, & fęda licèt, commiſſaque rurſus:
Nec ſemel, aut iterum tantùm, ſeu terque, quaterque,
Sed quoties mundare animam ferat ipſa voluntas:
Nempe Characterem, ſive indelebile ſignum
Imprimit haud animæ, nequeam quo ſumere rurſus:
54. Materies illius erunt, non proxima, culpæ,
Quas poſt baptiſmum frangens promiſſa, Fidelis
Ediderit, non quas idem patraverit, unda
Dum ſacra abluitur, vel quas commiſerit antè.
Iſtæ abſterguntur ſacrati aſpergine roris.
Corporeæ ut maculæ infuſa terguntur ab unda;
Hinc ſimul excedent, veterum dum fœda parentum
Nomine contractæ cedunt contagia ſordis.
55. Aſt dolor, & culpæ ardens execratio cordis,
Conſiliumque tenax iterum ſe crimine nullo
Fœdandi, & ſcelerum confeſſio: ſumptio pœnæ
A Myſta impoſitæ, veluti ſunt, judice Scoto,
Proxima materies, quæ me ſententia vincit.
Sumptio quin pœnæ, pariter ſi credis eidem,
Hæc valet in ſcrupuli magno diſcrimine omitti,
Dum tamen huic alibi lubeat perſolvere pœnas.
56. Illa ſacerdotis formam ſed dicito verba:
Crimina parco tibi. aut: *culpæ te ſolvo reatu:*
Te ſcelere abſolvo: quaque hunc ſunt cætera ſenſum
Nata referre: horum ſi verbum deficit unum,
Vincula non franges culpæ, nec crimina parces.
Hìc reliquas voces, adigunt quas dicere jura,
Imperio, vel more ſolent his addere Myſtæ,
Subdere ne renuas, ſi non delinquere mavis.
57. Si calamo ſeu verba notes, nutuque loquare,
Quo ſeu cunque alio ſigno, non ore, protaris;
Nil peragis, vanoque cies molimine verba.
Sola voce juvant, ſolùmque abeuntia ab ore
Solvunt verba ſcelus, ſolùmque piacula delent
Præſenti: abſentes nequeunt, longèque remotos
Solvere: nunc aliter prohibent expromere jura:
Errorem hunc Veterum plures tenuere Magiſtri.

 58. Sive

58. Sive dolor perfectus erit, contritio nempe,
Sive imperfectus, ſolet hic attritio dici,
Pro ſacramento ſatis eſt, me judice, uterque,
Si ſit uterque tamen ſupera virtute Tonantis
Elicitus. primum gignit, dum corde voluntas
Ardet amans illum, ſolus qui dignus amore eſt;
Et qui nos fecit ſolo devictus amore,
Quemque colunt ſolo Superum ingens agmen amore.
59. Alter at elicitur, dum quoſque recogitat annos
Cordis amaritie, ſcelerumque volutat olentes
Spurcities, numerum, ſpecies, maculaſque, notaſque;
Tum ſimul evolvit vigili ſub mente ſuperna
Gaudia, delicias, immortaleſque triumphos
Æternùm amiſſos, Erebique horrentis in ignem
Incurſum. heu damna, heu non enarrabile culpæ
Exitium! Infelix, qui juſſa faceſſere temnit.
60. Si verò doleas meditans diſpendia rerum,
Et decus amiſſum, & nunquam reparabile nomen,
Pœnarumque metum, ſontes queis jura ſueſcunt
Plectere, non ſat erit. naturæ viribus unquam
Non potis eſt quiſquam ſe ſe diſponere Cœlo.
Nec dolet ille ſatis, culpæ qui vincula, cauſas,
Radices, laqueos, irritamenta, catenas
Non priùs avellit, tollit, ſecat, amputat, aufert.
61. Non opus eſt lachrymis dolor hic ſe prodat obortis;
Eſt opus aſt, ſignis ut ſe ſe pandat apertis,
Non dubiis; non noſcet homo, quæ corde laterent,
Et quæ mente inſunt, eadem non judicat ille.
Si doleas, quia non doleas, non ſufficit, acer
Iſte dolor quamvis; ſignum tamen iſte doloris
Eſt veri; hinc ſcrupulus quemquam nec tangat, & angat,
Si ſe de culpis doluit, non ferre dolorem.
62. Poſtquam te puduit ſcelerum, mox plurima mærens
Quære Sacerdotem gnarum, dicturus eidem,
Quæ ſubiere animo; ſique optas ritè fateri,
Hæc expende priùs, curaque abſolve virili:
Sit confeſſio nuda, libens, diſcreta, fidelis,
Pura, dolens, humilis, ſimplex, feſtina, pudica,
Accuſans, ſecreta, frequens, ſit fortis, & omnes
Explicet errores, & Myſtæ juſſa capeſſat.

63. Ergo

63. Ergo ſeu facto, verbo, ſeu cordē ſupremum
Offendas Numen læthali crimine, Myſtæ,
Te pudeat quamvis nimiùm, fateare, neceſſe eſt,
Clam tamen. hoc Divina docent oracula Patrum,
Et fidei documenta jubent. hinc dicere contra
Audeat haud quiſquam: licèt hæc ſententia plures
Traxiſſet Veterum. nec te lex iſta gravabit,
Ardua nec nimis eſt, ſi fructus mente revolues.

64. Quæ culpæ variant ſpecies, ea cuncta fateri
Urgemur pariter monitis, ſummique jubemur
Numinis imperio. quæ tantùm crimen adaugent,
Inſignes pietate viri, rerumque periti,
Et numero multi nolunt, nos pondere tantò
Devinctos. ratio nos hic, ſtudiumque ſalutis
Flectat, & his cautos reddat quoſcunque periclis.
Non nimiùm fidas, nec dogmate abutere dulci.

65. Quæ peccata ſolent venialia dicere leges,
Et confeſſa ſemel lethalia crimina, ſolvi
Sacramento equidem poſſunt, ſed cogere nullo,
Tempore vel Paſchæ, præcepto pandere Myſtæ.
Aſt mortale ſcelus dubium te dicere rite,
Jura volunt; facto dubium, vel jure ſit anceps;
Multorum mitis nec te ſententia vertat,
Audent qua ſanctè poſitam reſcindere legem.

66. Si Libitina tamen tibi fila abſcindere vitæ
Urgeat, aut nequeas nutu, ſeu voce referre
Omne ſcelus; te nulla jubet lex cuncta fateri.
Nec quoque lex adigit, ſcriptura, interprete crimen,
Seu reſerare alio coram; verùm excipe mortis
Tempus; tunc ſed enim, ſcriptura, interprete quaſdam
Dicere te culpas cogo; ſic ipſe ſalutem
Æternam ſecurus habes, vitaſque pericla.

67. Errorem hìc caveas, veterum quem turba ſequuntur:
Scilicet in ſummo culpas diſcrimine vitæ,
Si tibi Myſta deeſt, laico te jure teneri
Pandere. jura jubent uni te prodere Myſtæ
Flagitia. haud tantam poſſent imponere molem,
Noluerit quando ipſe Deus. quin, addere, Scotu-
Haud dubitat, Laico quiſquam ſi crimina pandat
Non bene facturum. divus det ſacra Sacerdos.

68. Poſt

68. Poſt ſcelera expoſita, elic tum poſt rite dolorem,
Objurgate reos, mox inde infligite pœnas,
Præsbyteri, ultrices Myſtæ experiantur & iras,
Qui mite irritant Numen. ſit pœna nec impar,
Nec mimiùm affligens, nec vires vincat inertes
Peccàntis. Themis hic, nec non Clementia munus
Alternè ſubeant, ſic permulcebitur ira
Juſta Dei, & peccans non deſperatus abibit.

69. Peccati genus, & ſpeciem, numerumque, modumque
Tempus, conſortem, fines, objecta, locumque,
Seu levia hæc fuerint, ſive enormiſſima quamvis,
Sit Regni, aut Regis clades, Patriæque ruina,
Excidiumque Orbis, Fideique everſio, cuncta
Occultare opus eſt, atque antè occumbere morti,
Quàm tanti æternam ſecreti infringere legem.
Sic jubet ipſe Deus, qui Terras torquet, & Orbes.

70. Me pudet hinc Canonum priſcos ceciniſſe Studentes:
Eſt hæreſis crimen, quod nec confeſſio celat.
Verſus erat pueri non ſolùm verbere dignus,
Ipſe Theologicæ verùm quoque fulmine dextræ
Confodiendus erat; ſed enim mage jura Tonantis
Læſerat, Aonidum rigidam quàm ſpreverat artem.
Ergo, Sacerdotes, arcto ſervate ſigillo,
Quæ veſtro dixere foro delicta ſceleſti.

71. Tamque arctè cælate nefas, ut nutibus, ore,
Aut geſtu nullum liceat depromere ſignum,
Vel leve, vel minimum, quo quis de crimine ſontis
Hauriat indicium. ſed an ipſa licentia ſontis
Reddere vos tutos queat, & ſic prodere culpas;
Hæreo in ancipiti, & dubiam ſententia Scoti
Arcta facit mentem, nec, quò ſe vertere, norit.
Secretum ſerva, nam ſic prudentior ires.

72. Scilicet iſta viros tenuit ſententia magnos,
Poſſe domum revocare ſuos, qui præſidet Abbas;
Abnuere ac veniam, patrio diſcedere tecto,
Plurimaque his paria, almo ſi cognoverit ipſe
cramento, alibi te ſanctum his lædere Numen.
ne crede illis, nec dogma ſequare benignum,
Hoc ſiquidem vetuit juſto moderamine Papa.
Secreto faveas, & ſic tutiſſimus ibis.

73. Aſt

Digitized by Google

73. Aſt hìc reliquias ſcelerum ne tergere credas
Hoc Sacramentum; virtute piantur alius.
Ergo quis in vobis diro ſinthomate languet?
Parte alia variis hunc crudeliſſimus hoſtis
Dæmon imaginibus torquet; vel fallit inani
Spe modo; nunc terret, nullamque manere ſalutem,
Triſtè canit: modò ſacrorum quin tædia ſenſim
Callidus inſtillat, nec non oblivia Cœli.
74. Fortè paves, gelidàque tremunt formidine membra?
Eja age, pelle metus, animo ſpemque arripe firmam:
Tu nec cede malis, & contra audentior hoſtes
Ito Dei monitu, Patrumque faceſſito morem.
Præsbyteros intra tecti citò limina coge,
Teque ſuper pſalmos fundant, precibuſque ſupremum
Inflectant Numen: ſacro mox unguine ſenſus,
Inde pedes (ſi vir fueris) lumboſque perungant.
75. Reliquiæ & ſcelerum fugient: ut nubila vento
Flante abeunt; & culpa levis, ceu fumus in auras,
Vaneſcet ſubito: & te obliviſcente, recedent
Crimina quin gravia: & forſan ſanabere morbo.
Sed quæ materies, quæ forma, quis author? olivum
Materiem præbet, caſti quod Præſulis almæ
Sacravere preces, vel Papæ lege Sacerdos
Quiſque ſacrat. quæ vis, & Papæ quanta poteſtas!
76. Verba, queis Dominum devoto corde precamur,
Ut quæque ignoſcat, quæ ſenſu erravimus olim,
Dic formam. ut reliqua inſtituit dulciſſima amoris
Pignora, ſic hujus bonus eſt ſolùm Author Jeſus.
Deficiente ſacro, fas eſt, miſcere liquori
Non ſacrum ſacro, ſed parvo pondere, olivum.
Quòd ſi nil habeas olei, tunc balſama ſancta
Uſurpare vales, ſub conditione miniſtrans.
77. Si contemptus abeſt, non ullo ſumere magnum
Jure Sacramentum debes. me judice, ſumas,
Conſilia in melius referens, & ſumito mente,
Et ratione vigens; potis eſt ſed ſtultus inungi.
Si mors impendat, nec quinque perungere ſenſus,
Permittat: ſemel aut oculos, vel labra, vel aures
Ungito, ſive alias partes. hæc munera præſtet
Paſtor, & alterius meſſem non colligat alter.

78 Sacramenta inter dius ſupereminet Ordo,
Familiæ Chriſti Patres quo dantur, & Orbi
Sacratique Duces, Conſecratique Manipli.
E plebe evehitur, reliquiſque fidelibus extat,
Ordine qui fulget: ſed vincit Epiſcopus omnes.
Sic celſos Regni proceres Rex anteit omnes
Virtute, imperioque potens: ſic aurea Titan
Sidera præcellit, totumque illuminat Orbem.
79. Præſulibus longè at præſtat moderamine Papa
Infula, & imperio, quin majeſtate verenda,
Non Sacramento; interque illos unicus Orbe
Ipſe micat: Reges inter ceu fulgurat unus
Cæſar, & aſtrifero rutilat Sol unicus Axe.
Abbatem, & Pſalten, nec diſpar munus habentes
Ordinis è claro pariter delevimus albo.
Eſt ergo tantùm numeri ſeptemplicis Ordo.
80. Contingat ſacram ſi non attingere dextra
Materiem phyſicè, veruntamen ordine ſacro
Inſignitus eris, Graiis ſi credere dignum eſt.
Eſt ſatis ergo, ſacer ſi Præſul porrigat illam.
Ut ritè, & rectè exiſtas de more Sacerdos,
Ipſe manum imponat vittatus Epiſcopus almam;
Hoc ſine Myſta fores equidem, ſed mancus; ut eſſet
Mancus homo, vitam ſi lumine duceret uno.
81. Hinc tibi fas eſſet ſacrum libare Tonanti,
Muneribuſque almis altaria ſternere ſupplex,
Et verbis ſacrare piis cereremque, merumque,
Unde Polo rueret, non linquens ſidera, Chriſtus
Dona ſub ipſa celer, ſpecies fulturus inanes.
Sed tibi non ſineret vel fas, aut jura, poteſtas
Et tibi nulla foret, ſonti dimittere noxas,
Noſque Deo placitos, & puros reddere Cœlo.
82. Grande ſed altaris quorum genuiſſe miniſtros,
Munus erit? ſolus divino dogmate Præſul
Et mitra, & lituo fulgens valet: ipſe Sacerdos
Pontificis juſſu poterit conferre minores.
Imprimere an verò valeat recto ordine Sacros
Ille Caracteres, dubia ſub lite reſervo.
Hoc feciſſe, jubet ſi Papa: faceſſito morem;
Non errare poteſt; nutus qui Judicis audit.

83. Hiſce

83. Hiſce nec ipſe meis indictus verſibus ibis,
Cætus amans, ſancti cuſtos dulciſſime amoris,
Læta cohors juvenum, thalamo ſociata jugali.
Per te prodit homo, quo non formoſius ullum
Eminet Orbe animal, mentiſque capacius altæ,
Quodque Deus quondam dominari in cætera juſſit,
Atque animam illuſtrem vitæ immortalis honore,
Et genere ætheriam ſancto inſpiraverat ore.
84. Sacramentum ingens celſis & honoribus implet,
Teque facit caſtum, Diviſque, Deoque placentem,
Et tibi concedit ſanctè laudabile munus
Exercere thori, furias dediſcere iniquas
Infandæ Veneris, cæcique Cupidinis arcus
Frangere læthiferos, puriſque ardeſcere flammis.
Illo jure potes devotam gignere Olympo
Progeniem, dioque inſignem reddere more.
85. Antè tamen ſacras thalami ſuccendere flammas,
Et Virgo, & juvenis ſponſalia inire viciſſim
Ritè ſolent, ipſi queis mutua corda daturos;
Corporaque indubiè præſenti fœdere ſpondent.
Sic autem tanti promiſſio ponderis urget,
Ut ſe lethali credat ſe crimine ſontem,
Qui promiſſa gravi ſine jure infringere tentet,
Ac violare fidem, quam tanto pignore ſancit.
86. Si poſt prima, audax juvenis, ſponſalia rurſus
Ulteriora ineas: ſcito, irrita vota dediſſe,
Quamvis ipſa Dei jurato Numine firmes.
Reſpuit omnipotens judex, quæ fœdera iniqua,
Auſus eras, ſtabilire fide. ſi fortè parentes
Detrectant, licitè thalami genialia ſolus
Vincula ſpondebis, ſimili ſi nomine Conſors,
Conditione, gradu vivit, nec diſpare more.
87. Hic fugiant ſponſi tactus, inhoneſtaque ſigna,
Quæ reperit non caſtus amor; ſe lumine dulci,
Blanditiis, verbis, amplexibus, oſculo & uti,
Permiſſum patriis. caveas ne cæca latenter
Inſinuet ſe fœda Cypris; meliora ſequaris:
Normas hic dubias, nec non exhorre labantes.
Compita declinat cautus latebroſa viator.
Arcto calle petas, tum ſic tutiſſimus ibis.

88. Qui

88. Qui renuunt ſervare fidem, promiſſaque pacta;
Hoſce valet pœnis, & carcere cogere Judex.
Arguat, inſtet, agat, cogat nec ſæpe ſuperbos
Ipſe tamen; ſubeant ultro connubia ſponſi.
Exitus infælix (docuit ſœpè exitus ingens)
Subſequitur thalamos, quos impellente celebrant
Vi juvenes: Cives inter tueatur amorem
Alma Themis, ſed caſta Venus conjungat amantes.
89. Res ſacra cōnubium haud fuerat, nec myſtica quondam;
Actus erat ſolùm, quo vir, mulierque viciſſim
Corpora tradebant, illis fruiturus uterque
Gignendi prolem, diroſque cupidinis aſtus
Ludendi, Cypridoſque irritamenta nefandæ.
Rem ſacram, ac ſanctam Chriſtus voluentibus annis
Inſtituit, Charitiſque dedit venerabile ſignum,
Dum menſa puras jubet ipſe rubeſcere lymphas.
90. Signare & voluit, dictu mirabile! nexum,
Nexum illum inſolitum, nullaque ab imagine rerum
Depictum, quem ipſæ nequeant vel dicere Mentes,
Quove olim humanam firmo ſibi fœdere carnem
Junxerat; arcanum pariter decrevit amoris
Eſſe ſui indicium, ſponſam quo diligit almam;
Inde ſacramentum magnum, mirabile ſignum
Ritè vocant veteres thalami ſacra fœdera Patres.
91. Conjugii innectunt juvenes honorabile vinclum
Aſſenſu tantùm, calamo, nutuque, vel ore
Expreſſo, nec quid prodeſt, ſi corde lateret,
At prodeſſe ſcias, ſeu tu conſenſeris ipſe,
Sive tui imperio pro te conſenſerit alter.
Te ſine nil prodeſt, ſi fortè aſſentiat ille,
Seu Rex ipſe foret, frater, genitrixque, Paterque.
Te ſine te thalamo Omnipotens vinciret Olympus.
92. Connubium ſtabit, ſi verbis hiſce ſubibis;
Te ſumo in fœdus thalami, ſi ſurget ab undis
Cras Titan; noctem vel Lunæ argentea lampas
Lumine perſundet; vel, ſi contingere Cœlum
Tentabis, Phaetonque alter frenare micantes
Solis Equos cupies; vel, ſi nova vipera Ventrem
Proſcindes, qui te ſub luminis edidit auras;
Aut magicas artes, medæaque carmina diſces.

93. Tum

93. Tum ruet in nihilum, ſi talia verba profaris:
Me tecum ſocio, & ſubeo conſortia lecti,
Non equidem quantum mea, vel tua vita manebit,
Sed quantum tibi fert animus, vel certa voluntas.
Aut mihi jus dederis tædas violare jugales,
Et pactam maculare fidem, nec reddere ſancti
Uſum conjugii, quoties tu rite repoſces,
Lacte vel infantes ſi non aluiſſe placebit.
94. Forma Sacramenti, ut potior ſententia monſtrat,
Hæc aſſenſus erit; juvenum ſed corpora amantum
Proxima materies; Juvenis, mulierque miniſtri,
Myſtaque teſtis erit, nec non orabit ab alto
Et pacem, & natos, & cætera proſpera nuptis.
Aſt gemini aſtantes ſolùm quoque munera teſtis
Defuncturi aderunt; alios aſtare probamus,
Jus nullum at mandat, nec lex hoc præcipit ulla.
95. Frangere connubium, quod mutua mixtio carnis
Firmavit, mors ſola poteſt: quæ cordis, & ore
Fœdere nectuntur, nedum iſta ligamina mortis
Falx truculenta ſecat, verùm ſolemnia vota,
Et Papæ imperium, magno impendente periclo.
Hæreſis, & pactæ fidei violatio, morbus
Conſortem inficiens, irritamenta malorum
Vincla quidem thalami, ſed non connubia ſolvunt.
96. Uti conjugio non ulla cogere lege:
Reddere ſed quoties proprium jus exigit actu,
Imperio te jura ligant, nec frangere fas eſt;
Ni te cauſa gravis, vel vitæ utriuſque, vel Alui,
Aut damni alterius, ſive hoc nec poſcat honeſtas.
Longiùs, & rectè vis vivere? diſcito normam:
Reddito ſæpe, nega rarò, ſed rariùs ipſe
Exige conjugium, conſorte ac utere ſponte.
97. Utere connubio, formoſa ut prole parentem
Reddere te poſſis, cæcoſque libidinis æſtus
Flectere? ſi primum, nullo te crimine damnant,
Deque alio dubitant: aſt ipſe probabile credam
Nullius eſſe reum culpæ, nec lædere Numen.
Vivere cui dabitur flammas, ac inter amores,
Olli nec dabitur tantas reſtinguere flammas?
Improbus uſus erit, moveat ſi ſola voluptas.

98. Quæ

98. Quæ priſco, vel jure novo connubia ſolvant,
Et fieri impediant, iſtis nunc accipe metris.
Error, Conditio, votum, cognatio, Crimen,
Diſparitas fidei, vis, ordo, ligamen, honeſtas,
Affinis ſeu tu fueris, congreſſui & impar:
Si Parochi, & gemini deſit præſentia teſtis,
Raptave ſit mulier, nec parti reddita tutæ:
Hæc iniiſſe vetant ſacra fœdera, facta retractant.
99. Vinclum, Vis, Error, nec non Cognatio primi
Arcta gradus rigida naturæ Lege reſtringunt
Connubiale jugum; humano moderamine tantùm
Cœtera diſſolvunt, ipſum non excipe votum,
Quod ſolemne dabunt monachi, ſacrique miniſtri
Ordinis. hìc addo, dictu mirabile! forſan
Et Soror, & Frater ſummo diſcrimine rerum
Pontificis Summi imperio connubere poſſent.

De Judicio Finali, De Pœna Damnatorum, Et Præmio Beatorum.

100. ASt, heu! dum thalami pango ſacra fœdera gaudens,
Quæ tuba terrificis torquet clangoribus aures?
Agnoſco horribilem ſonitum, reboantia noſco
Murmura, & ò utinam mea neſcia corda pavere
Tanto excita ſono tandem ſe flectere diſcant.
Buccina terribilis, ter formidanda, minaxque
Judicis extremi tuba, terrificique fragores,
Horrifici ſtrepitus, ter deplorabile murmur!
101. Aligeri, quibus imperium eſt, & ſumma poteſtas
Supra Animas flamma exuſtas, & corpore clauſas,
Poſtremaque die dabitur queis clangere cornu;
Eſte boni, extremum auxilioque levate laborem:
Fas mihi ſit juſtas venturi Judicis iras,
Judicii & faciem tetram, & ſigna horrida ſigna
Dicere, & ultrices pœnas graveolentis Averni,
Empyreique domos, & præmia ferre ſub auras.

102. Judi-

102. Judicio magno præitura horrentia ſigna,
Et Vates cecinere pii, divinaque pangunt
Dogmata. primum ergo, quà Sol utrumque recurrens
Conſpicit Oceanum, atque algent quà pervia nondum
Axe ſub arctoa, ac adverſo ſidere Regna,
Quà indomitæque latent gentes, populique feroces,
Os, moreſque feris ſimiles; lex aurea Chriſti
Surget ibi, & ſurgent Trino delubra Tonanti.
103. Multi equidem homines inibi, quin plurima turba,
Crimina deflebunt, luſtrali & fonte piabunt.
Incertum, num quoſque hominum ſors tanta repoſcat,
An ſolùm plures; unum tamen orbis ovile,
Paſtor & unus erit, Papam confeſſus ovilis
Paſtorem ſummum, ſupremum ritè ſacrorum
Pontificem, pedibuſque ſacris ſacra oſcula figens,
Pronus adorabit mortali in Præſule Numen.
104. Tu quoque Roma dabis, dabis, heu! fatalia ſigna,
Adventumque canes Domini. terraque, marique
Protuleras Regnum: te fama evexerat aſtris,
Et vaſto imperium præcinxerat æquore Cæſar.
Nunc amiſſa doles, Urbeſque, & Regna ter ampla;
Ingemis & lacerum ſceptrum, ſolùmque ſuprema
Majeſtate micas, & grandi nomine gaudes.
Tanta ergo mutare potes, revolubilis ætas?
105. Jam graviora manent: non exorabile fatum
Te premet exitio; tandem voluentibus annis
(Horreſco referens) nec tunc auguſta poteſtas
Nec tibi Cæſar erit, nec honos, nec grandius omen;
Nominis & tanti tenuem vix fama per Orbem
Rumorem ſparget. tum ſic convulſa, ruinis
Attollens caput, hæc gemebunda profabere verba:
Qui venturus erat, celerans deſcendet Olympo.
106. Infandum at ſignum, nec eo funeſtius ullum
Tertium erit. Signum, heu nimiùm lachrymabile ſignum!
Ergo naſcetur polluto è ſtipite monſtrum,
Dirus homo, truculentus homo, quo nequior alter
Non eſt, ſive fuit, vel erit, non excipe Judam.
Heu pietas! heu ſancta Fides! ſanctiſſima templa
Structa Deo! ſubverſa ſolo, vel diruta flammis
Cernere erit, ſive in ſtabulum converſa jumentis.

E 107. O ni-

107. O nimiùm infelix! utinam fata aſpera rumpas,
Et fore te nuſquam, & nunquam te oſtendere terris,
Ille ſinat, ſalvos fieri qui juſſerat omnes.
Tu Antichriſtus eris. laxis convitia linguis
Fundite, & immane, horrendum, execrabile monſtrum,
Naturæ vitium, inceſtamque ab origine prolem
Exagitate probris. ſed quo vel ſanguine cretus,
Qua vel gente ſatus vitæ prodibit in auras?
108. De populo inviſo naſcere ex ſtirpe colubri:
Tu Judæus eris: de Dan oriere nepote,
Ut quondam, afflatus cœleſti numine, Jacob
Dan ipſum monuit dicens: *in calle ceraſtes,*
Inque via colnber fiat Dan: mordeat ungues
Iracundus *Equi: ſic, qui conſcenderit illum,*
Retro cadet. Domine, tunc expectare licebit
Inde *ſalutiferum*, venturum ex æthere rurſum.
109. De vetitis thalamis, inconceſſiſque hymenæis
Peccati naſcetur *homo*, culpæ impius author,
Inferni ſoboles, & perditionis alumnus.
Ipſa malos veluti nequeunt bona gignere fructus
Arbuta; jucundos agreſti ex arbore fœtus
Nec pendere vides. partus ſibi parturit æquos
Quodlibet. ignis aquas non proferet, unda favillas,
Terra nec aſtra feret, Cœli nec flore vireſcent.
110. Quæ documenta dabit? quibus artibus imbuet Orbem?
Infelix ævum, vitam ſub paupere tecto
Exiget? ac ſtygias ibit qua morte ſub umbras
Perfidus? ille dolis inſtructus, & arte latenti
Condere ſe primùm finget, vitam omnium egenam
Ducere, & innocuos mores, Superiſque placentes:
Luce palam ſcelera objurgans, & crimina damnans
Te, Metanœa, canit, ſimulans tibi ſe addit & uni.
111. Tum verò ignaræ Gentes, velut agmine facto,
Undique concurrunt, comiteſque ſequuntur iniquum,
Non ſecus ac Numen, tum animis, tum corpore promptæ,
Quas per cumque plagas cupiat deducere, & oras;
Quin totum ardentes Orbem diſcurrere ſecum.
Iſta per ora hominum; clam verò crimen in omne,
Quantumcunque atrox, vel quantumcunque nefaſtum,
Labitur, & ſocios non imbuit impare more.

112. Atque

112\. Atque ita deceptos, mox Armipotentis & arte
Inſtructos in bella trahit, Regeſque ſubactos
Obſtringit vinclis, & tot dominatur in oras,
Imperium ut terris, & famam terminet Orco.
Hinc animo elatus Cœlum ipſum ſubdere, & ipſum
Molitur Numen Cœlo detrudere: inani
Spe luſus, fervenſque ira deturbat ab aris,
Seque aris ſtatuens ſanctos furatur honores,

113\. Factum audax, nequam, dictuque effabile nulli!
Thus, araſque Deo, & ſanctos furatur honores;
Inque reluctantes furit atrox: parcitur ulli
Haud pœnæ, haud cædi, haud morti; nec parcitur ulli
Divorum; Elian, & Enoch, qui Numine pleni
Adventumque Dei, ac inſtantis Judicis iras
Impavidi celebrant, truculenta cæde trucidat,
Nec minùs in reliquos rapitur mens dira furore.

114\. Dimidio, & trinum ſic deſævitur in annum.
Ecce ſed interea tot ſtrages inter acerbas
Cæditur infelix, ac improviſus Averno
Concedit. Michael illum, quo fulmine adegit
Luciferum quondam, non viſo vulnere, mactat.
Ecce vices iterum, nova monſtra, immania monſtra.
Horrendùm quatitur tellus, quatiturque barathrum.
Sol, Phœbe ſplendore carent, labuntur & Aſtra.

115\. Fatales umbræ! fugiunt homineſque, feræque,
Quò fugiant, nec habent, nec ubi ſe condere norunt.
Heu fuga inutilis! aſcendit flamma impia ab Orco,
Æthere præcipitant flammæ, populantur & omnia.
Regna, Urbes, Arces, Saltuſque, Feræque, Homineſque
Arſerunt flammis; cineres ex agmine tanto,
Heu! remanent ſolæ, reliquum fit fumus, & aer.
Heu flamma, heu cinis, heu fumus, mœſtiſſimus aer!

116\. Ecce vices iterum: reboat clangoribus Æther,
Clamorem ingeminat, Superi jamque ora reſolvunt,
Et lituos inflant: nunc in rediviva redite
Corpora, defuncti: ad Domini properate tribunal;
Jam ſedet antiquus, plenuſque vir ille dierum,
Quem diſcuſſurum ſubtili examine cuncta,
Quæ malè quiſque facit, dicit, vel cogitat unquam,
Prædixère ſacro afflati olim numine Vates.

117. Finierat nondum fatalem buccina vocem,
Serpit adhuc tremulus liquido verùm aere bombus:
Vivificus clangor! vox admiranda! repente
Et cinis, & pulvis, contritaque corporis oſſa
Rurſus in antiquam ſurgunt revoluta figuram.
Turba immenſa hominum ſurgit, gens tanta nec unquam
Olim viſa ſimul, nec conſpicienda futuris
Temporibus, nec viſa unquam diſcrimina tanta.
118. Sexus erit primus, ſanguis, ſenſuſque priores,
Prima caro; ſed mole nova tunc corpora ſurgent.
Quantumcunque puer cadat hic, aut occidat ille:
Quantumcunque ſenex obit hic, occumbat & alter,
Omnibus æquus erit vultus, frons, brachia, pectus.
Non erit ipſe tamen color æquus, & omnibus idem;
Teſte etenim Paulo rediviva in corpora Manes
Conſurgent omnes, ſed non mutabimur omnes.
119. Scilicet exurgent Chriſti referentia plenam
Corpora menſuram. nunquam Omnipotentia mancum
Novit opus. ſed adhuc quæ, quot, diſcrimina quanta
Aſpiciam! terris qui murice fulſit, & Oſtro,
Aut Rex, aut Cæſar, deformibus artubus horrens
Terribili ſqualore riget: qui paupere tecto
Degerat, & victum ſupplex poſcebat, & æra,
Emicat, & Lunam exuperat, Titanis & aſtrum.
120. Horrida quæ facies, qui vultus, & ora puellæ,
Quæ Cypride formoſa magis poſt terga ſequentes
Mille procos vidit? manibus, pedibuſque revinctis,
Qui fuerant proceres, ſtygia comitante caterva
Illuſi plorant. mulier deſpectaque, & hirta,
Hic inter plebes abjectior, incola ruris,
Qui fuit hic vilis, Reges inibi anteit Orbis.
Non genus, aut ortus, virtus diſcriminat illic.
121. Nulla ſed hæc fuerint ſpectacula, ſpectraque nulla,
Tolle oculos: aſtris deſcendunt millia mille
Aligerum, ter ſancta phalanx, Rex magnus & ipſe
Ætheris, & mater Regina, nec Æthera ſcindunt.
Interea ſileam horrificas voces, ululatus,
Immenſos ſtrepitus, & blaſphæmantia probra
Damnatorum hominum, Superum & pæana canorum.
Sit meminiſſe ſatis; minuat, qui pangere tentet.

122. Agmina

122. Agmina fortunatorum tunc aera ſupra
Remigio alarum nullo, virtute ſed intus
Impellente, tenent curſum, ſeque obvia Regi
Ætherio præbent, juſtoque ſequentia plauſu
Ima petunt, vallemque ſuper, cui Joſaphat olim
Detulerat nomen, veniunt: mox Iride Judex
Se locat; inde levi felices aere Cives
Stare jubet dextra, miſeros frendere ſiniſtra.
123. Imperioque ſolum cogit mordere ſuperbos,
Et ſe ſe premere alternè, & calcare viciſſim,
Quin plures retinere locum, ſpatiumque replere
Mandat idem: tot ſic homines, ſic millia mille
Parvula vallis habet: ſummus tum quærere Prætor;
Nec facta ingreſſus tantùm, nec verba, ſed ipſa
Otia ſcrutatur, ſcrutatur & abdita cordis,
Et quæ nec tu, nec Superum reminiſcitur ullus.
124. Diſquirit ſontes, diſquirit & improba: juſta
Diſcutit, & juſtos: Rex judex omnibus idem:
Quoſque alios & ſcire facit quæcunque: ſceleſtis
Qui pudor! at qualis, vel quæ, ſeu quanta manebit
Inſontes laus, gloria, honos! ſcelera ipſa, nefaſque
(Mortalis dum vita fuit deleta dolore)
Quò mage noteſcent, parient cultumque, decuſque,
Laudeſque, & famam innocuis; tum nominis omen.
125. Hæc tanta, hæc magna, & tanti tum ponderis actus
Tempore nec longo, inſtanti nec tempore fient,
Sed breviore hora. fient tum plurima voce,
Plurima tumque animo, nulla vel imagine ſenſus.
Hic natura parum, dabit Omnipotentia multum.
Aligerum nonnulla manu, nonnulla potenti
Abſolvet virtute ſui ſpectacula Judex;
Grandia cuncta tamen, numeris modulanda nec ullis.
126. Judicium jam finis habet, diſcuſſio rerum
Factaque tantarum: Cauſæ ſententia magni
Judicis una deeſt, multis latura dolores,
Gaudia ſed paucis: tum facta ſilentia cunctis.
Cum linguam ſolvens judex horrenda per auras
Vox exauditur, ſonteſque exterret: abite
Quos ſcelus aut proprium turpat, vel Originis atrox
Crimen habet: pœnas Noſtri experiamini, & iras.

127. Nudus

127. Nudus oberrabam, aut macie confectus abibam;
Hoſpes eram, tectoque carens, vel carcere clauſus;
Vel me torquebant diri contagia morbi.
Vos verò nec opem modicam, exiguumque tuliſtis
Præſidium, columenque mihi, nullumque levamen.
Ite ergo, æternùmque ignis vos torqueat: Orcus
Æternùm cruciet: vos Lucifer impius ore
Abſcindat, donec me olim ſententia vertat.
128. Vos pietas, vos arſit amor, rectumque, ſacrumque
Tum cordi fuit, & mea Crux, dum vita manebat,
Et dextram fato preſſis tendiſtis amicam.
Vos ergo accipiant cœleſtia regna beatos,
Imperium ſine fine dabo, vitamque perennem.
Non ea fatus erat; cum nigra in tartara ſontes
Præcipitant, ceu fulgur abit. Superi ardua cœli
Conſcendunt hilares, feſtivaque carmina dicunt.
129. Præcipitant ſontes: qui culpa ab Originis una
Fædantur, Limbum retinent, Limboque morantur.
Non dolor hìc, mæror, non hìc cruciatus, & angor;
Stant inibi æternùm cárituri luce Beantis;
Luce ſuboſcura verùm, quò tendere greſſus
Indubios valeant, miſeri potiuntur ephebi:
Numen amant, patrio ſed amore, ſuaque quieſcunt
Sorte: odere nefas, & Legum juſſa ſequuntur.
130. Crimine qui proprio ſordent, hos accipit horrens
Tartarus, ignis edax, igniſque nigerrimus illic,
Flammaque comburens, non conſumptura ſceleſtos.
Ferrea non inibi, aut adamantina vincla, ſecures
Æs, reſina, rotæ, ſulphur, plumbumque liqueſcens,
Aut colubri, aut angues, Gorgon, ſtygiæque volucres,
Has niſi Tortores ſtudeant aſſumere formas.
Supplet flamma vorax, quin acriùs unica torquet.
131. Hic dolor, hìc angor, tum deſperatio oberrant,
Et furor, & rabies, gemituſque, ſitiſque, fameſque,
Cordis amarities, ſtimulus Conſcientiæ & acer
Ipſam Animam penetrant, truculento & vulnere cædunt.
Ingens tormentum, quo non ingentius ullum,
Divini intuitus erit ipſa carentia; ubique
Quicquid atrox fuerit, pœna omne id continet atrox;
Heu miſeri! ſors dira nimis! lacrymabile fatum!

132. Glo-

132. Gloria quæ Superis, quæ ſors, & quanta voluptas?
Planitiem haud credas immenſa luce coruſcam
Empyreum, nullumque inibi conſurgere limen:
Tecta habitant Divi rutilo fabricata metallo,
Cui par nec Sidus, nec Sol nitidiſſimus ardet;
Auguſtamque Urbem ſtatuunt; thronus eminet alti
Numinis. haud abſunt flores, & amæna vireta,
Æternùmque virent, non defectura per ævum.
133. Urbs Lunæ, nec Solis eget; Rex Urbis, & Orbis
Munera Solis habet: ſupplet Regina Virago
Alma vices Lunæ: radiantia ſidera finge
Cælicolas: albent Angli, Æthiopeſque nigreſcunt,
Purpureique rubent Itali: diſtinguitur ingens
Verſicolora cohors: patrius ſuper aſtra repoſtos
Inſequitur color, at patriis defectibus expers,
Supremæ & luci immixtus, radioſque coruſcans.
134. Et manibus geſtant plures inſignia palmæ:
(Aureolas dicunt) alii niveas, aliique rubentes;
Hi Fidei vicere hoſtes, Veneremque protervam
Illi; quos inter latè fulgere, Thienes,
Aſpicio te, magne Pater; te cernere gnati
Cogit amor: docuere alii divina, corollæ
Ceruleæ hos decorant: præunt ſex; Carmina at unus
Texit. Cœlo etiam modulare, Seraphice Doctor?
135. Ceu nihil iſta canam: Trinum, ter amabile Numen,
Immenſum & Verum,& Pulchrum,quodcunque Bonumq;
Contemplantur, amant: requies ea tota laborum,
Tota operum merces, Animæ pax, meta Videntum,
Et citra ſatiem ſaties: non viſio ſola,
Tanto operi nec ſolus amor, nec ſola voluptas
Par foret, ac Superum non omnia vota repleret:
Cernere, amare Deum merces ea tota laborum.

AD

MOMUM,

SUnt bona? ſunt mala? vel ſunt an mediocria quædam?
  Sunt bona, ſi jubeas, Invide, ſuntque mala.
Judice me, rebus bona ſunt: mediocria quædam,
  Judice te, ferma ſint, precor: hoc ſatis eſt.

AUTHOR, ET FINIS.

COncinit hos Gabriel demiſſo pectine verſus,
  Arx ipſi agnomen Gualdea detulerat.
Concinit hæc, laudes non ut ſibi quærat, inani,
  Nam ſcit, poſſe nihil ſe meruiſſe metro.
Concinit, ut, claro fulgent qui nomine Vatum,
  Allecti hæc plectro nobiliore canant.

Digitized by Google

005658815
Resta...
Badia
di
Ca...